




1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

HISTORIA LEGIONIS III. AUGUSTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XX. M. IUNII A. MDCCCLXXXII

HORA I

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

MAXIMILIANUS MEYER FIEGEL

POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

W. FOX, CAND. PROB.
PH. BERSU, CAND. PHIL.
A. COHN, STUD. PHIL.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT I. DRAEGER (C. FEICHT).

MDCCCLXXXII.

MATRI CARISSIMAE S.

Res militaris Romanorum quemadmodum gradatim usque eo sit commutata, ut perpetuus fieret exercitus ex civili, nemo est quin sciat, nisi qui forte rerum Romanarum plane imperitus est. Postquam Camillus exercitus a Romulo, ut dicunt[1]), constituti condicionem ita mutavit, ut, quando fieri necesse esset, vel hieme sub pellibus haberetur eamque ob causam militibus stipendium quoddam daretur[2]), Marium primum capite censos quoque in militum numerum adscivisse et rerum scriptores[3]) confirmant et Langius[4]) sagaciter exposuit. Exercitum ita commutatum Langius non sine iusta causa mercennarium appellavit; nam ut mercennarii ducem, quocum sub certis quibusdam condicionibus de militia convenerunt, quoqueversus sequuntur, ita inter milites Romanos eorumque duces ea ratio intercedebat, ut milites etsi stipendia facere cogebantur, tamen nescio quomodo artius essent coniuncti cum ducibus quam antea, et rectissime ait Sallustius[5]): et homini potentiam quaerenti egentissumus quisque opportunissumus.

Quae cum ita sint, haud scio an is recte iudicet, qui exercitum mercennarium putat esse quasi fundamentum exercitus perpetui, qui quam necessarius fuerit bellis civilibus exortis inde colligi potest, quod duces studium in eo collocabant, ut quam fidelissimos et maxime sibi obnoxios haberent milites. Quamvis igitur id agerent, ut milites spectata virtute ac fide apud se retinerent, tamen ne his quidem extremis reipublicae liberae temporibus exercitus perpetuus est factus. Nam eae, quae tum extiterunt, legiones, etsi per multos annos duces sequebantur in bellum, tamen re bene gesta dissolvebantur et cum praemiis dimittebantur.

---

1) Varro, de l. L. V, 87; Plut. Rom. 13. 2) Liv. IV, 39. 3) Sall. Iug. 86; Plut. Mar. 9; Gell. Noct. Att. XVI. 10. 14. 4) Historia mutationum rei militaris Romanorum p. 5. 5) Iug. c. 86.

Cum vero Octavianus Caesar adversariis devictis principatum constituit, partim ut fines imperii ab externarum gentium incursionibus tueretur, partim ut suam potentiam etiam in eos firmaret, qui veterem reipublicae liberae statum restituere cupiebant, opus sibi esse intellexit exercitu, qui in perpetuum retineretur: quare ex eis legionibus, quas aut ipse antea habuerat aut Antonio Lepidoque de medio sublatis suis adiunxerat[6]), alteras agris datis dimisit, alteras retinuit, quae novum formarent exercitum. Itaque ex illo tempore de singularum legionum historia disseri potest, quam persequi aliquantum iuvat, quoniam quantum eae ad principatum aut constituendum aut perdendum attulerint nemo nescit; quin etiam ad extremum legiones constituerunt, qui imperator eligeretur vel quamdiu regnaret.

Inter eas legiones, quae imperatoribus regnantibus in provinciis Romanis tendebant, haud scio an legio III. Augusta praecipue nos convertat in se, cuius permultis titulis Africanis fit mentio. Quare id imprimis studui, ut huius legionis historiam componerem; sed ut optimo iure eum reprehenderis, qui cum historiam reipublicae cuiusdam conscribere velit, qui rectores eius extiterint non enumeret, ita mihi pergrave est visum, ut ducum quoque legionis ratio haberetur. Itaque priore parte historiam legionis narrabo, posteriore qui praefuerint legioni quemque locum obtinuerint enumerabo.

Ac primum quidem qui libri quique fontes mihi praesto fuerint ad hanc dissertationem conficiendam brevi enumero; sunt: L. Renier, Inscriptions romaines de l'Algérie (Paris 1858), quam syllogen in iudicium vocavit Guilelmus Henzenus in: Annali dell' Instituto archeologico XXXII (1860) p. 23sqq.; collectiones editae ab Orellio-Henzeno et Wilmannsio, Th. Mommseni Inscriptiones regni Neapolitani; Corpus inscriptionum Latinarum cura academiae regiae Berolinensis editum; Grotefendii historia legionis III. Augustae[7]); eiusdem: Kurze Geschichte der Legionen von ihrer Entstehung bis auf Gallienus[8]); rerum scriptores, qui suo loco commemorabuntur.

[6]) v. Mommseni Res gestae divi Augusti p. 47. 48. [7]) Pauly, Realencyclopädie IV. 875. [8]) Zeitschrift für Altertumswissenschaft 1840, fasc. VII.

Imprimis vero singulari in me benevolentia Th. Mommsenus mihi corporis inscriptionum Latinarum volumen octavum inspiciendum permisit, quamobrem ei summam habeo gratiam. Nam cum hanc dissertationem confeci, volumen illud typis exprimi coeptum est; quodsi nonnulla in ea inveniuntur, quae nunc volumine illo publici iuris facto supervacanea videantur, qui legunt mihi indulgeant quaeso.

PARS PRIOR.

Historia legionis III. Augustae.

Legionem III. Augustam iam Augusti temporibus in Africa tetendisse, id quod Grotefendius coniecerat[1]), ex duobus lapidibus milliariis[2]) in via Tacapis Capsam ducente repertis efficitur. Qui tituli cum anno p. C. 14 positi sint[3]), eo tempore legionem in Africa tetendisse apparet. Iam ut via ac ratione progrediamur, videamus, utrum legio ante hoc tempus extiterit necne. Atque equidem legionem bellis civilibus totum orbem imperii Romani labefactantibus iam extitisse iisque interfuisse censeo. Nam ex eis legionibus, quarum ad nostra tempora pervenit memoria — neque quaequam est, quae nobis non sit nota, modo per longius temporis spatium fuerit — tribus cognomen Augusti inditum est, scl. legioni secundae, tertiae, octavae. Atqui legionem VIII. Augustam constat ab Augusto ante bellum cum Antonio gestum constitutam esse, cum veterani eius bello Actiaco ad finem perducto in Berytum et Heliopolim colonias deducti sint[4]). Quae cum ita sint, haud dubito, quin nostra quoque legio, antequam Octavianus principatum constituit, extiterit; et firmatur haec opinio eo, quod tres nobis occurrunt legiones, quae tertio numero numerantur, legio III. Augusta, legio III. Gallica, legio III. Cyrenaica. Facile has tres legiones triumvirorum fuisse conieceris, qui Caesare interfecto rerum potiti sunt, Octaviano Antonio Lepido. — Octavianus cum Sex. Pompeio bellum inferret, Le-

1) Pauly, Realencyclopädie IV. 875. 2) C. I. L. VIII. 10018. 10023. 3) Eo anno titulos esse incisos cum Tiberius imperium iam susceperat, Mommsenus adnotavit ad C. I. L. VIII. 10018. 4) Res gestae divi Augusti ed. Mommsenus p. 48.

pidum ex Africa revocavit, ut sibi auxilio veniret. Qui cum duodecim legionibus ad Siciliam naves appulit[5]). Quodsi quaeremus, qui factum sit, ut Lepidus tantum haberet exercitum, respondendum nobis est eum praeter sex illas legiones, quae ei ex pacto Brundisino permissae erant[6]), quatuor a Sextio suscepisse[7]), ipsum autem reliquas duas legiones, itemque quatuor illas, quas postea ex Africa in Siciliam traducendas curavit, quarum duae a Papia, Sex. Pompei legato, deletae sunt[8]), in Africa conscripsisse. Quare haud absimile est veri unam ex his sex legionibus legionem III. Cyrenaicam fuisse; cognomen enim significare videtur eam in Cyrenaica illis temporibus aut stationem habuisse aut conscriptam esse. — Legionem III. Gallicam fuisse Antonii ex loco Taciteo[9]) apparet. Restat igitur una legio III. Augusta. Iam cum credibile non sit, unum ducem duas vel tres legiones eodem numero nominatas habuisse, illam legionem Octaviani fuisse verisimile est. Non dico fuisse iam ante bellum Actiacum cognomina tribus legionibus, id certe falsum esset, si ad legionem III. Augustam referres; nam illam non ante diem XVI. m. Ianuarii a. 727 a. u. c., quo die Octavianus Augustus est appellatus[10]), nomen illud accepisse perspicuum est; sed mea quidem sententia principatu constituto Augustus tres illas legiones, quae antea tertio numero numerabantur, retinuit cognominibusque appositis distinxit. Simile exemplum praebent tres legiones decimae, quas Augustum habuisse Suetonius[11]) tradit, e quibus una dimissa aut, quod mihi probabilius videtur, cum altera coniuncta est, quoniam ea nomine Geminae utitur, quo nomine eam ex duabus legionibus esse natam significatur.

Antequam ad historiam legionis enarrandam transeam, perpauca mihi videntur disserenda esse de nominibus, quibus legio nostra est usa, de provincia, ubi tetendit, de patria militum legionis.

Legio semper tertia Augusta nominata est, nisi quod nonnunquam etiam alia cognomina accepit, ut eam inde a Septi-

---

5) Appian. b. c. V. 98. 6) Appian. b. c. V. 53. 7) ibid. c. 75. 8) ibid. c. 104. 9) Hist. III. 24. 10) Mommsen, Staatsrecht II[1], 708. 11) Aug. c. 24.

mio Severo usque ad Maximini tempora P. V. i. e. piam vindicem appellatam esse et Henzenus[12]) iudicavít et qui sequuntur lapides demonstrant:

VIII. 2550 = R. 56	a. 198[13]).	
VIII. 2551 = R. 57	a. 198[14]).	
VIII. 2528 = R. 61	a. 198.	
VIII. 2527 = R. 62	a. 198.	
VIII. 2552 = R. 65	a. 198.	
VIII. 2465 = R. 1611	a. 198[15]).	
VIII. 6	a. 201[16]).	
VIII. 2557 = R. 70	a. 203[17]).	
VIII. 2564 = R. 90	a. 218[18]).	
VIII. 2671 = R. 1403	Septimii Severi temporibus.	
VIII. 1	Alexandri Severi temporibus.	
VIII. 2675 = R. 98	Maximini temporibus, ut cognomen Maximinianae probat.	
VIII. 2891 = R. 1342	Severi temporibus, quoniam leg. III. Parth. Severiana vocatur.	

Praeter hos lapides complures extant tituli, quibus legionis nomini voces piae vindicis adduntur, quibus eos positos esse circa illud tempus efficitur. — Duos ego novi titulos[19]), in quibus quamquam ad Severi tempora pertinent, legio cognominibus illis caret; tamen nihil est, quod id quod Henzenus l. c. posuit falsum censeamus, quoniam fieri potest, ut de quibus agimus nomina Septimio Severo iam aliquod tempus regnante legioni data sint, lapides illi autem non minus recte ad initium regni Severi quam ad posterius tempus referantur[20]).

[12]) Annali dell' Inst. 1860 p. 62. [13]) Huius anni esse titulum Severi trib. pot. VI. probat. [14]) Cum in hoc lapide et in sequentibus Q. Anicius Faustus consul designatus nominetur, quem honorem a. 198 eum habuisse ex lapide praecedente apparet, hi quoque eiusdem sunt anni; cf. Wilm. 1470 n. 3 et 1480 n. 3. [15]) Vide quae ad hunc titulum in Corpore adnotantur. [16]) Hoc enim anno Septimius Severus trib. pot. VIII. fuit. [17]) cf. Wilm. 1482 n. 7. [18]) cf. Wilm. 1478 n. 2. [19]) VIII. 2705 = R. 4361; VIII. 2877 = R. 653, quorum hunc ad Severi tempora pertinere docemur eo, quod nomini legionis III. Parthicae cognomen Severianae additur. [20]) Quid causae fuerit, cur legio cognomina illa acceperit, non plane intellegitur; equidem dubito an ea de causa acceperit, quod Severum sequi malebat quam Didium

Exeunte saeculo tertio et ineunte quarto legionem piam fidelem nominatam esse duo lapides firmant[21]), quorum alter (VIII. 2576 = R. 114) Maximiani, alter (VIII. 2577 = R. 115) Constantii Caesaris temporibus positus est[22]). — Sicut aliae legiones nostra quoque saepe cognomen accepit ab imperatore regnante, quae cognomina tamdiu eam retinuisse quamdiu imperator vivebat consentaneum est. Omnes qui talia praebent cognomina lapides non ante exitum saeculi secundi nostrae aerae positi sunt, dico:

VIII. 3163 = R. 820	Commodiana vel Commoda (ita enim Wilmannsius n. 1468 COM. recte opinor legit).
VIII. 3164 = R. 821	Antoniniana.
VIII. 2878 = R. 1353	Antoniniana.
VIII. 7049 = R. 1839	Severiana Alexandriana.
VIII. 1.	Severiana Alexandriana.
VIII. 3.	Severiana.
VIII. 2737.	Severiana.
VIII. 2675 = R. 98	Maximiniana.
VIII. 2634 = R. 4073	Valeriana Galliena Valeriana (unde legiones pluribus imperatoribus simul regnantibus omnium eorum nomina accepisse intellegi potest).
VIII. 2797 = R. 260	Galliena.
VIII. 2665.	Aureliana.

Iulianum, quem senatus legatis missis imperatorem militibus commendaverat. Legationem hanc etiam ad milites Africanos missam esse inde efficiendum videtur, quod in his legatis Vespronius Candidus est, quem legatum legionis III. Augustae fuisse infra (p. 39) videbimus (Spart. Did. Iul. c. 5). Si hanc fuisse causam negaveris, legioni cognomina indita esse ob Pescennium Nigrum devictum accipias.

21) Henzenus (ann. dell' inst. 1860 p. 62) P. F. siglas dicit legendas esse »pia felix«, quod equidem improbo, quoniam nulla praeterea legio his cognominibus utitur, piae fideles autem complures nominantur, velut legiones VII. et XI. Claudiae.

22) Singularis est titulus quidam Siccae Veneriae repertus, ubi mil. leg. III. Aug. vind. nominatur, sed piae vocem excidisse quadratarii errore putabimus.



Legionem III. Augustam semper in Africa aut provincia a. 38 per Gaium Caesarem[23]) divisa in Numidiam et Proconsularem in Numidia stationem habuisse cum permulti illi tituli in hac provincia reperti tum complures rerum scriptorum loci probant. Tacitus[24]) legiones earumque provincias Tiberio nonum annum imperante enumerat, unde Africam tum duabus legionibus coercitam esse colligi potest; scl. legione III. Augusta et legione IX. Hispana[25]); Iosephus[26]) in Numidia unam esse legionem dicit, quae cum de anno p. C. 66 loquatur nostra sit necesse est; nam eo tempore Clodius Macer Numidiam regebat, quem legioni III. Augustae praefuisse ex nummis eius evidentissime apparet[27]). Item Hadriani vel Antonini Pii temporibus nostram legionem stationem non commutasse duae columnae demonstrant Romae repertae[28]), quibus cum per ordinem geographicum compositi sint omnium doctorum hominum sententia firmatur, nostram legionem illis temporibus in Africa tetendisse. Dio[29]) legiones Alexandri Severi temporibus quae fuerint enumerans Numidiae legionem III. Augustam praesidio fuisse dicit. — Longum est titulos Africanos secundum temporum rationem ordinatos hoc loco enumerare; omnium fere temporum inscriptiones extare, quae legionem stationes non mutasse indicant vix quisquam negaverit. Cum praeterea eo tempore, quo Notitia Dignitatum composita est, i. e. ineunte saeculo quinto[30]) legio III. Augusta[31]) in Africa fuerit, contendere haud dubito legionem inde ab Augusto usque ad ultima imperatorum tempora, quoad nos quidem eam persequi possumus, in Africa fuisse. — Restat, ut de militum patria nonnulla addam. Milites praecipue in ea terra esse conscriptos, ubi legio III. Augusta stationes habuit, consentaneum est; quamobrem longe maximam partem in Africa aut in Numidia esse natam invenimus, ut laterculi quatuor (VIII. 2586. 2568. 2567. 2565^{b}. = R. 127. 129. 133. 134.) demonstrant. Praeter hos haud paucos invenies castris na-

23) Tac. hist. IV. 48. 24) ann. IV. 5. 25) ann. III. 9; IV. 23. 26) de bell. Iud. II. 16. 4. 27) Müller, numismatique de l'ancienne Afrique II n. 385—392; Eckhel, Doctr. numm. vet. VI. p. 288. 28) C. I. L. VI. 3492 a. b. 29) LV. 23. 24. 30) O. Seeck, Quaestiones de Notitia Dignitatum. Dissertatio Berolinensis 1872. p. 11. 31) cf. Not. Dign. Occ. cap. VII § 1 F.

tos, quos Polliae tribui adscribi solitos esse Henzenus recte observavit[32]). Rarissime inveniuntur, qui in ceteris provinciis nati sint, velut unus beneficiarius consularis Sisciae, unus Sarmizegetusae (VIII. 2586 = R. 127), miles legionis Burdigalae (VIII. 2103 = R. 3187), Cluniae (VIII. 2807 = R. 275), Traianopoli (VIII. 2964 = R. 1110), Ratiariae (VIII. 2871 = R. 1353), Arae (VIII. 2769 = R. 1364), Albae Pompeiae (VIII. 1839) natus.

Quoniam a. p. C. 14 legionem in Africa iam fuisse ex lapidibus milliariis supra citatis cognovimus, dubitandum non est, quin bello cum Tacfarinate gesto interfuerit, cuius nobis est testis Tacitus in annalium libro tertio et quarto. Quod bellum cum gravissimum fuerit populo Romano, hoc loco Tacitum sequentes referemus. Anno p. C. 17 Tacfarinas natione Numida, qui apud Romanos stipendia meruerat, postquam Maurorum copias Mazippa duce in partes suas adegit, bellum Romanis intulit. Totum exercitum in hunc modum divisit, ut ipse fortissimo cuique militi, quem Romanum in modum armis instruxerat, praeesset, Mazippa levi armaturae, quae finitimas regiones igni ferroque vastaret. Furius Camillus, qui tum proconsule Africam regebat, legionem III. Augustam quosque habebat secum socios in Mauros duxit eosque proelio lacessivit. Aciem ita instruxerat, ut legio medium teneret locum, socii in alis starent[33]). Romanis fortissime pugnantibus contigit, ut Tacfarinas in fugam verteretur; nec recusavit Tiberius, quin Camillo triumphalia ornamenta concederet — tantus incesserat timor Romanos, ut duci victori ab imperatore summi haberentur honores[34]). Sed tantum afuit, ut Numidae gravissima illa clade ne Romanorum fines vastarent deterrerentur, ut contra tribus annis post bellum renovarent. Tacfarinas unam cohortem, cui Decrius quidam praeerat, haud procul a

---

32) Ann. dell' inst. 1860 p. 65. 33) Par reipublicae liberae temporibus usus erat, ut Romani mediam haberent aciem, socii alas, quamobrem copiae sociorum in duas partes dividebantur, alam dextram et sinistram. 34) Tac. ann. II. 52.

Pagyda flumine[35]) circumvenisse fertur. Quamvis fortiter Decrius ipse pugnaverit, cohors fugata ipseque interfectus est. Quod cum L. Apronius, is qui Camillo successerat in proconsulatu, audivisset, illius cohortis decimum quemque militem securi percuti iussit, qua poena severa milites tanta ira inflammati sunt, non in ducem, qui recte fecerat, quod milites ignavos supplicio affecit, sed in Tacfarinatem, ut non ita multo post vexillum quingentorum veteranorum exercitum Numidarum, qui Thalam urbem ceperat, etsi numero longe superior erat, plane devinceret. Qua in pugna legionarius quidam miles, Helvius Rufus, ita praeter ceteros excellens extitisse dicitur[36]), ut ab Apronio hasta et torque, a Tiberio corona civica donaretur. Sed ut Numidarum populus ferocissimus atque audacissimus est, Tacfarinas hac clade gravi commotus non est, ut bello desisteret; quamobrem Apronius Caesianus, proconsulis filius, cum equitibus et cohortibus auxiliariis, quibus velocissimi legionis adiungebantur milites, missus est, qui Tacfarinatem aggrederetur, id quod ille quidem tanto eventu effecit, ut hostes in desertum repelleret. Cum insequenti anno (p. C. 21) Apronio revocato senatus negotium proconsulis nominandi Tiberio permitteret, isque Sex. Pompeio auctore eo, qui a. p. C. 14 consul fuerat summaque apud Tiberium gratia valebat, senatui M'. Lepidum, qui ad id tempus Asiam proconsule rexerat, et Iunium Blaesum, Seiani avunculum, commendasset, hic, quod Lepidus recusavit, quominus hanc provinciam susciperet, in Africam est missus. Et profecto tam strenuo atque prudenti viro quam Blaesum fuisse comperimus opus erat illi provinciae; nam a. p. C. 22 Tacfarinas tertium movit bellum. Eo anno a Tiberio petivit, ut sibi suisque domicilia in provincia Romana, quae fertilitate

---

[35]) Quem fluvium hoc nomine Tacitus significari velit, non liquet. Equidem nomen illud non recte esse traditum censuerim; nam cum paulo infra Thalam urbem a Tacfarinate esse captam doceamur, quae urbs haud procul ab Ammaedera sita erat, Ammaederam (ita enim legendum videtur pro Metridera) ad Ardalionem fluvium, qui in Bagradam incidit, sitam esse Orosius (VII. 36) sit testis, Pagydae nomen pro Bagrada esse scriptum puto. [36]) Ann. III. 21.

agrorum libidinem barbarorum illiciebat, darentur. Quod cum Tiberius negaret, Tacfarinas Romanis bellum inferre in animo habebat, quo nullum antea fuisset gravius atque crudelius. Blaesus a Tiberio, qui nisi Tacfarinate capto bellum non fore finitum intellexit, iussus quomodocunque posset Tacfarinatem vivum capere, primo pollicitationibus Numidas ut a duce deficerent impulit, nec defuerunt, qui cum perpetuarum expeditionum rapinarumque eos taederet, ducem desererent. At Tacfarinas Romanorum consilio perspecto suas copias in tres partes divisit, ut hostes eodem tempore diversis locis adoriretur, qua re Blaesus quoque commotus est, ut suo exercitu tripertito Cornelium Scipionem legatum in Leptitanos et Garamantes, filium suum Cirtam mitteret, ipse mediae aciei praeesset. Tum suas copias iterum in minores partes divisit, quibus centuriones spectata virtute praeposuit. Qua re ei contigit, ut Numidarum copias repelleret et Tacfarinatis fratrem caperet; nec vero Tacfarinatem ipsum in deditionem accepit, id quod Tiberius voluerat. Nihilo setius ornamenta triumphalia accepit et Tiberio permittente a copiis imperator est salutatus[37]).

Cum id bellum haud leve esset, praeter legionem III. Augustam et socios, qui cum exercitu coniuncti erant, alias copias in Africam transportatas esse et consentaneum est et Tacitus ipse memoriae tradit, cum dicit[38]): cetera Africa (i. e. Mauretania excepta) per duas legiones . . . coercita. Neque difficile est cognitu, quae altera illa legio fuerit. Narrat enim Tacitus postero anno (p. C. 24) Tacfarinatem bellum rursus movisse, postquam Mauros sibi conciliavisset, qui, cum Ptolemaeus rex, Iubae filius, suos cohibere nequiret, facile ad eum descivissent; nec minus Garamantes Tacfarinatis consiliis favisse et cum levi armatura vastandi causa expeditiones in finitimas terras suscepisse. Quod eo facilius eos facere potuisse, cum Blaesus esset revocatus, legio nona in pristinas statio-

[37]) Licet suspicari Blaesum, nisi Seiani fuisset avunculus, imperatoris titulo ornatum futurum non fuisse, nam id, quod Tiberius iusserat, non erat assecutus. Ceterum id addatur post Blaesum praeter Imperatores ipsos neminem unquam imperatorem esse salutatum. [38]) Ann. IV. 5.

nes redire iussa. Legionem IX. Hispanam si exceperis, nullam invenies legionem, quae nonum numerum habuerit; quare illam legionem bello contra Tacfarinatem gesto interfuisse credendum nobis est, cum qua comprobatione optime convenit titulus quidam Brixiensis[39]) positus Cornelio Scipioni legato Ti. Caesaris Augusti legionis IX. Hispanae. Nam quin ille Scipio idem sit atque is, quem Tacitus a Blaeso in Garamantes atque Leptitanos missum esse ait, in dubitationem vocari non potest. Itaque anno superiore legionem III. Augustam Blaeso duce aut patre aut filio contra Tacfarinatem pugnasse intellegimus; mihi autem probabilius videtur illam a patre contra Tacfarinatem esse ductam quam a filio.

Sed ut ad Numidarum bellum enarrandum redeamus: Dolabella a. 24 in Blaesi locum successerat. Qui cum legionem nonam retinere in Africa non esset ausus, Tacfarinas rumore disperso Romanis ab aliis hostibus bellum inferri, Thubuscum[40]) castellum obsidere coepit. At Dolabella omnibus quae aderant copiis contractis oppidum obsidione liberavit, et Musulamios, qui iam seditionem movebant, in potestatem suam redegit; deinde quatuor agmina instruxit, quibus partim tribunos, partim legatos praeposuit, et militibus de itinere celatis prope Auziam castellum, ad quod Tacfarinatem cum suis copiis consedisse acceperat, cum hostibus proelio decertavit. Tanta erat Numidarum perturbatio, ut vix quisquam Romanorum impetum sustinere auderet, Tacfarinas ipse, quem ex proelio fugientem milites persequebantur, comitibus occisis filio capto ferro se percuteret. Hic erat finis belli illius, quod Romanis per complures annos tantum iniecerat timorem. Dolabella, etsi ornamenta triumphalia ei negabantur, tamen ex hoc bello magnam cepit laudem, quod bellum feliciter confecisse videbatur.

---

39) C. I. L. V. 4329. 40) Nomen corruptum est. Nipperdeius ad hunc locum Taciteum (ann. IV. 24) Thibursicum esse legendum adnotavit; quod oppidum cum nimis longe absit ab ea regione, qua bellum gerebatur (prope Auziam, ut ex narratione cognoscimus) equidem cum Lipsio facio, qui Tubusuptus (rectius Tubusuctu) legi vult (cf. Grotefendium in: Pauly, Realencyclopädie VI. p. 2178).

Tota haec narratio, quae apud unum Tacitum nobis servatur, legionem, de qua nos agimus, haud parvam sibi comparasse gloriam demonstrat, neque erraverit, qui virtute copiarum Romanarum barbaros aliquantulum esse prohibitos putet, ne in fines provinciae incurrerent.

Cum Nero anno p. C. 68 vita decessisset et inter Galbam Othonem Vitellium qui regnaret contentiones fierent, legio III. Augusta quoque seditionum eo tempore ortarum particeps est facta. Tum enim ei praeerat Clodius Macer qui Calvia Crispinilla agitante atque hortante imperatoriam petebat dignitatem[41]). Quam ut faciliore negotio assequeretur, praeter legionem III. Augustam cohortes complures conscripsit. Legioni ipsi vero aliud nomen indidisse videtur, quoniam in nummis aliquoties legio I. Macriana Liberatrix invenitur, quae a legione III. Augusta diversa esse vix potest[42]). Non multo post legio illa a Galba, cum imperium esset adeptus, dimissa, sed a Vitellio restituta est[43]). Ceterum postquam Clodius Macer Galba iubente per Trebonianum est necatus[44]), legio III. Augusta studiosissime Vitellii partes secuta esse videtur. Nam legio tum erat sub imperio Valerii Festi, Vitelli propinqui; qui postquam Pisoni — is enim eo tempore proconsul Africae erat — persuadere conatus est, ut contra Vespasianum arma caperet[45]) neque potuit, eum necari iussit. Quod dum fit ipse Hadrumeti erat, unde, cum Pisonem esse necatum audivit, ad legionem contendit et centurionum, qui interfectionis fuerant consortes, partem poenis affecit, partem praemiis donavit. Tum ut Vespasiani gratiam sibi conciliaret — nam Vitellius interea diem supremum obiit — in Oeenses et Leptitanos expeditionem fecit, quos vicit et pacavit, qua re effe-

41) Tac. hist. I. 73. 42) Eckhel, D. N. VI p. 288; Müller l. c. N. 383. 384. Ceterum de his rebus non sane dilucidis vide quae exponuntur in praefatione C. I. L. VIII. p. XX. 43) Hist. II. 72. 44) Quae in textu dedi, Plutarcho (Galba c. 15) debeo; Tacitus (hist. I. 7) Macrum a procuratore Trebonio Garutiano esse interfectum memoriae prodidit; cum praeter hos duos huius rei testes extent nulli, uter scriptorum rectius tradiderit, in suspenso relinquo. 45) Tac. hist. IV. 49. 50.

cit, ut Vespasianus ipsi ignosceret, quod antea a Vitellii partibus steterat; nam haud ita multo pôst ad consulatum eum pervenisse inscriptio quaedam Tergestina[46]) docet. Valerium Festum non modo legioni III. Augustae, verum etiam maioribus copiis praefuisse et titulus modo citatus, ubi legatus propraetore exercitus Africae nominatur, et Tacitus demonstrat, cum dicit[47]): donec interventu cohortium alarumque fusi Garamantes .....

Tacito potissimum auctore historiam legionis usque ad Vespasiani tempora persecuti nunc quas praeterea res gesserit legio ex titulis eruamus.

Ante omnia lapidem sepulcralem quendam (VIII. 2975 = R. 1182) commemoro, in quo legimus: mil. leg. III. Aug. def. in Parthia, i. e. militis legionis III. Augustae defuncti in Parthia. Etsi his verbis militem illum bello quodam Parthico esse occisum non satis indicatur, tamen hoc mihi verisimillimum videtur et, ut rectum sit, nostra interest quaerere, quod sit bellum illud Parthicum, de quo hoc loco cogitari possit. Henzenus[48]) cum tribus, cui miles ille adscriptus erat, in lapide legatur, titulum ad tempora Caracallae aetate antiquiora pertinere conicit; quod si verum est, lapidem iam ante Septimii Severi tempora esse incisum licebit contendere, quoniam legio cognominibus Piae Vindicis caret, quae a Septimio Severo usque ad Maximinum usitata fuisse iam vidimus. Quae cum ita sint, haud scio an lapis ad Parthicum illud bellum spectet, quod annis 162—166 L. Verus contra Vologaesem gessit[49]). — Non ita multo postquam bellum Parthicum compositum est, bellum contra Marcomannos et Quados a M. Aurelio esse gestum notum est, cui bello vexillationem legionis III. Augustae

---

46) C. I. L. V. 531. 47) Hist. IV. 50. 48) Ann. dell' Inst. 1860 p. 58 nota 1. 49) Dio LXXI, 1. 2; Anton. Phil. vita c. 7. 8. In inscriptionibus legionis III. Augustae, quas quidem sciam, nulla est, quae illis annis posita sit. Fortasse etiam Luciani locum quendam interpretari licebit legionem III. Augustam illius belli participem fuisse, cum is dicat (*Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν* c. 31): *τὸ τρίτον τάγμα καὶ οἱ Κελτοὶ καὶ Μαύρων μοῖρα ὀλίγη σὺν Κασσίῳ* etc., ubi equidem *τὸ τρίτον τάγμα* legionem nostram esse censeo, cum etiam Maurorum vexillationis unius fiat mentio.

interfuisse testis est titulus Mactaritanus (VIII, 619), quem mea quidem sententia rectissime adnotat Wilmannsius esse aetatis M. Aurelii, quod Commodi nomen extremis versibus erasum esse videatur. Duas praeterea habeo causas, cur titulum hunc illi aetati attribuerim; nam et nominibus Plauti Felicis tribus nomen est adiectum, unde titulum ante Caracallam esse incisum efficitur, et expeditionis Scythicae Felicem fuisse participem commemoratur, quam expeditionem eandem esse atque M. Aurelii contra Scythas factam[50]) censuerim. — Alius titulus, qui in honorem Elagabali, Iuliae Maesae, Soaemiadis Bassianae positus est (VIII. 2564 = R. 90) expeditionem felicissimam orientalem commemorat, cui legionem aut certe partem eius interfuisse ex verbo »regressi« efficitur. De qua expeditione hoc loco dicatur, diiudicandum nobis est; neque vero dubium videtur esse, quin ea expeditio Caracallae contra Parthos suscepta sit. Anno 216. Caracalla Artabano Parthorum regi persuadere conabatur, ut filiam sibi in matrimonium daret; quod cum ille negasset, in Mediam incursionem fecit[51]), Arbelam cepit, terram vastavit[52]). Macrinus autem, qui Caracallae praefectus praetorio erat, cum non sine aliqua causa timeret, ne ab imperatore interficeretur, coniuratione facta Caracallam interemit, cum in itinere Edessa Carrhas versus esset[53]). Quod factum est a. 217. Macrinus ipse a militibus imperator salutatus cum severiore disciplina uti conaretur brevi tempore exercitui odio fuit; itaque facile Maesae Caracallae matris sorori contigit, ut exercitum Elagabalo conciliaret. Tum is cum iis copiis, quae eum iam imperatorem agnoverant, contra Macrini exercitum profectus est eumque haud ita longe ab Antiochia plane devicit. Equidem illi

50) Dio LXXI. 33 (Zon. XII. 3). 51) Spart. vita Carac. 6. 52) Dio LXXVIII. 1.; Herodianus IV. 10, 11. Artabanum primo recusasse, quin Caracallae filiam in matrimonium daret, deinde imperatori cessisse narrat; tum imperatorem magno exercitu in Parthiam intrasse gaudentibus Parthis, quod tandem aliquando pax esset diuturna. Cum autem nihil mali suspicantes conviviis et gaudiis se dedissent, Caracallam suis, ut barbaros de improviso opprimerent et interficerent, imperasse. 53) Dio LXXVIII. 4—6; Herod. IV. 12. 13; Spart. vita Carac. 6. 7. Aur. Vict. epit. 21; Oros. VII. 18.

pugnae etiam legionem III. Augustam a. 217 interfuisse censeo, cum in lapide legatur: »regressi de felicissima expeditione orientali« lapidemque a. 218 positum esse appareat[54]). Utrum tota legio ad hoc bellum profecta sit an pars aut, ut rectius dicam, vexillatie quaedam legionis dubitari potest; mea quidem sententia vexillatio tantum ad bellum Parthicum ex Africa missa est, quod periculosum erat totam legionem e provincia tam seditiosa, cui una legio praesidio erat, educere quodque plerumque fit, ut legionibus in provincia quadam tumultuosa tendentibus ex aliis provinciis legionum vexillationes auxilio mittantur.

Haud ita multo post gravissimus ille casus accidit, qui legioni summae perniciei fuit, seditio a Capelliano mota, quam Herodianus[55]) et scriptores historiae Augustae[56]) memoriae prodiderunt. Maximino imperante Africam procurator[57]) administrabat, qui haud alia mente atque imperator ipse summa cum crudelitate in cives invehebatur, qna re et servorum et colonorum iram in se concitabat summam. Qui tam acerbum tamque crudele imperium non diutius sibi esse ferendum rati Gordianum, qui proconsul erat provinciae, ut purpuram sumeret, commoverunt. Gordianus, qui aetate iam erat provectus, initio quidem restitit, tum vero civibus vehementissime rogantibus dignitatem imperatoriam una cum filio, qui eius erat legatus, suscepit. Sed dum seditiosorum res in dies magis crescunt, illi vita decesserunt. Capellianus enim Gordiano infestissimus erat, ἔκ τινος ἀγοραίου διαφορᾶς, ut ait Herodianus. Cum intellegeret, si Gordiani imperatores agnoscerentur, fore ut ipse periret cumque iam a Gordiano ab exercitu recedere esset iussus, eo consilio seditionem movit, ut, si Maximini quoque res male cessissent, ipse imperator fieret. Postquam igitur exercitus[58]) animos sibi conciliavit, a. d. V. Non. Iul. a. 237 Carthaginem versus, ubi proconsul residebat,

---

54) cf. Wilm. n. 1478. 55) VII. 9. 56) in vitis Maximinorum et Gordianorum. 57) Capellianum fuisse procuratorem Mauretaniae, id quod in vita Maximini (c. 19) traditur, falsum est; cum enim inde, quod legio seditione illa oppressa dimissa est, Capellianum legioni seditiose agenti praefuisse eluceat, legatus legionis fuisse putandus est 58) Scl. legionis III. Augustae, quae una tum Africae praesidio erat.

profectus est. Maior natu Gordianus filium ei obviam misit, sed exiguis copiis[59]), quas secum habebat, contra Capellianum nihil efficere se posse intellegens mortem sibi conscivit. Minoris natu Gordiani copiae cum Capelliano congressae fugae se dare cogebantur, quod inferiores erant numero, Gordianus ipse fortiter pugnans cecidit[60]). Tum Capellianus Carthaginis urbis, qua ex victoria erat potitus, cives nobilissimos interemit militibusque, ut magis sibi obnoxios redderet, permisit, ut eam praedarentur. Romam interea rumor pervaserat Gordianos duos esse interfectos, cumque Maximus et Balbinus quoque, qui senatu auctore in Maximini locum successerant, per praetorianos vitam amisissent, senatus Gordianum tertium, qui tum admodum puer erat[61]) imperatorem creare non dubitavit. Qui ut avunculi avique mortem ulcisceretur, legionem, cuius opera illi perierant, cum ignominia dimisit. Quod factum esse inscriptionibus comprobatur, quae ante Gordiani tempora incisae sunt, in quibus legionis nomen erasum est; factum autem esse simulatque Gordianus imperium suscepit, i. e. a. 237, et per se verisimillimum est et eo confirmatur, quod ab hoc anno usque ad restitutionem legionis nullae inveniantur inscriptiones eius.

Legionis cum ignominia dimissae loco alias copias in Africam transportatas esse consentaneum est; nam provincia nimis exposita incursionibus barbararum gentium, quae deserta incolebant, fere inermis relicta facile a populo Romano desciscere poterat, id quod Carthaginienses conati sunt Sabianum imperatorem Gordiano tertio opponentes[62]). Quare quaerendum nobis est, quae legio inde a Gordiano tertio usque ad restitutionem legionis III. Augustae in Africa castra habuerit. Earum legionum, quarum nonnulli in Africa reperti sunt tituli, has nomino:

---

59) Has copias esse eas, quas quotannis in officium proconsulis mittere debebat legatus (VIII. 2532 = R. 5) censemus. 60) De morte Gordiani proconsulis duae extant narrationes apud rerum scriptores. 61) Quotum annum egerit Gordianus tertius, cum a senatu imperator est factus, non constat (cf. vit. Gord. c. 22). 62) Zosim. I. 17. Eundem esse censeo atque Sabinianum, cuius fit mentio vit. Gord. c. 23.

Leg. II. Adj.:	VIII. 3066 = R. 453; VIII. 9653; VIII. 9660.
Leg. IV. Flavia:	VIII. 7070 = R. 1862; VIII. 7981 = R. 2249; VIII. 9762.
Leg. V. Mac.:	VIII. 3097 = R. 588 (1202); VIII. 9632.
Leg. XI. Claudia:	VIII. 9761.
Leg. I. Min.:	VIII. 9654. 9662.
Leg. XXII. Prim.:	VIII. 1574; VIII. 2888 = R. 779; VIII. 2889; VIII. 2997 = R. 1259; VIII. 9655. 9656. 9658. 9659.

Mommsenus[63]) legionem XXII. Primigeniam illis temporibus Africae praesidio fuisse contendit, cum in Germania, ubi antea stativa habuerat, qui ad illud tempus pertineant lapides non inveniantur. Quam opinionem nos quoque sequemur.

Quo tempore legio restituta sit, ex duobus titulis colligi potest (VIII. 2482 = R. 4095[64]); VIII. 2634 = R. 4073). Eos cum a. 253 positos esse ex ipsis eluceat, antea vero, Gordiani tertii et Philipporum aetate, inscriptiones legionis nullo loco inveniantur, hoc demum anno legionem renovatam esse cognoscimus. Cum qua re optime conveniunt, quae de historia illorum temporum nobis servata sunt. Nam cum Philippo mortuo C. Messius Decius imperator esset factus isque in pugna cum Gothis[65]) commissa Galli proditione cecidisset, Gallus ipse purpuram sumpsit; sed eum M. Aemilianus[66]), Moesiae legatus, infesto animo petivit. Pugna facta Aemilianus victoriam reportavit, Gallus occisus est. Sed Galli legatus, Valerianus, a militibus in Raetia tendentibus imperator salutatus Aemilianum devicit, tum (a. 253) legionem III. Augustam, cuius partem in Raetia fuisse priore inscriptione docemur, restituit. Utrum tota legio in Raetiam translata sit necne non cognoscitur; mihi autem unam partem eo deductam esse, ceteras alios in locos probabilius videtur; nam id Gordianus tertius sibi pro-

63) cf. quae praefatus est ad C. I. L. VIII. p. XXI. 64) Quid T signum in versu 9 sibi velit, me fugit; Renierus idem esse atque mortuum coniecit, quae coniectura mihi non probatur, cum mortui signum θ esse multis exemplis demonstretur. 65) Zosim. I. 23; Zon. XII. 20. Vict. c. 29; Eutrop. IX. 4; Iord. de reb. Get. c. 18. 66) Zosim. I. 28. 29; Zon. XII. 21. 22. Victor. c. 31.

posuerat, ut milites separaret, ne denuo seditionem molirentur. — Denique Theodosii, magistri equitum, bellis cum Firmo gestis legio videtur interfuisse, de quibus ne plura exponam, vide quae Ammianus (XXIX. 5) narravit. Legionem III. Augustam autem horum bellorum participem fuisse compluribus argumentis verisimile fit. Nam cum Ammianus Theodosium exigua militum manu comitante ex Gallia venisse dicat[67]), qui fieri poterat, ut hostem, qui urbem opulentam et florentem ceperat omnesque incolas terrebat, devinceret, nisi praeter copias ex Gallia adductas alias quoque secum habebat? Porro legionibus Africanis eum praefuisse Ammianus est auctor[68]), cum dicit: dux ad recensendas legiones, quae Africam tuebantur, ire pergebat ad Panchariam stationem, quo convenire praeceptae sunt. Denique legionem in bellum contra Gildonem gerendum (a. 398) profectam esse inde efficitur, quod Claudianus[69]) legionem Augustam eius belli participem fuisse dicit, quam eandem esse atque nostram Grotefendius recte observavit[70]); nec subest causa, cur eam viginti fere annis ante contra Firmum pugnasse negemus.

Quoniam de eis, quae totum fere imperium Romanum labefactarunt, bellis, quibus legio III. Augusta interfuerit, disseruimus, iam ut pauca de seditionibus oppresssis per eam addamus restat. Mauretaniae populos regesque saepissime in fines provinciae Romanae irrupisse inter omnes constat, ut Claudio imperante res in Mauretania gesta est[71]), Hadrianus Q. Marcium Turbonem misit, ut Mauretaniae tumultum reprimeret[72]), Antoninus Pius Mauros ad pacem postulandam coëgit[73]), Commodus Mauros per legatos vicit[74]); postea Quinquegentiani, cum fines Romanorum ingrederentur, a Maximiano Augusto diuturno bello sunt victi et pulsi[75]). Eorum bellorum, quibus incolae Romani saepius agitarentur, legionem aut

67) l. c. § 4. 68) § 9. 69) de bello Gildonico v. 422. 70) vide Pauly, Realencyclopädie IV. 875. Nam quae praeterea erant legiones Augustae, scl. secunda et octava, procul ab illa provincia tendebant neque extant vestigia ulla utramque unquam in Africa fuisse. 71) Plin. n. h. V. 1. 11. 72) vit. Hadr. c. 5. 73) vit. Antonini Pii c. 5. C. I. L. II. 1120. 2015. 74) vit. Commodi c. 13. 75) Eutrop. IX. 22. 23; cf. Marquardt, Staatsaltert. IV. p. 326.

certe partem eius etsi non semper tamen nonnunquam participem fuisse inscriptionibus nonnullis docemur, quarum primo loco duas commemoro, quae, quoniam eadem verba eaque singularia in iis leguntur, iungendae esse mihi videntur: VIII. 2980 = R. 1207[76]; VIII. 3275 = R. 1299. Quarum altera cum legioni cognomina piae vindicis dentur, altera mutilata sit, ut facile siglas P. V. supplere possis, titulos tempore inde ab a. 197 usque ad annum 237 positos esse elucet. Qui hoc loco intellegendi sint hostes, non apparet, neque vero incredibile est Maurorum quandam gentem seditionem movisse, quamobrem legio in eam missa sit.

Porro duo alii hoc loco laudandi sunt tituli, quibus legionem contra Bavares a. 260 pugnasse comperimus (VIII. 2615 = R. 101; VIII. 9047 = R. 3579). Denique postea quoque Mauris cum Romanis rem fuisse titulo quodam Mouzaïaville reperto docemur (VIII. 9286 = R. 3675), qui a. 495 positus est.

Quoniam quibusnam bellis legio interfuerit vidimus, quae in pace milites opera confecerint disserere necesse erit; nam ne milites nimis longo otio superbirent, imperatores semper id agebant, ut aut publica aedificia extruenda aut vias muniendas castellaque facienda militibus mandarent. Ut omittam, quoties legionarii templa vel alia aedificia omnibus temporibus, quibus bello vacabant, extruxerint — multi tituli haec indicant[77] — id mihi praecipue videtur dignum, quod nonnullis verbis commemorem, eos vias militares quasdam munivisse. Duobus illis lapidibus milliariis, quos supra commemoravi[78], legionem anno p. C. 14 viae ex castris hibernis Tacapes muniendae operam dedisse apparet; quorum uterque cum in via Tacapis Capsam ducente sit repertus, hanc viam aut eandem esse atque viam ex castris hibernis Tacapes ducentem aut certe partem eius dilucidum est; quare haud scio an iure pro vero accipiamus Capsae fuisse hiberna legionis, antequam

76) Supplementa vix dubia esse possunt.

77) Exempli gratia affero: VIII. 2653 = R. 22; VIII. 2630 = R. 23; VIII. 2546 = R. 38 VIII. 2654 = R. 39; VIII. 2697 = R. 53, alia.

78) cf. p. 7.

castra Lambaesitana facta sunt. — Insigne exemplum legionem talibus operibus conficiendis studuisse lapides milliarii anni 123 praebent[79]), positi in via quae est Carthagine Thevestem, P. Metilio Secundo legato Augusti pro praetore. — Sed dum hi omnes lapides demonstrant, quas vias legio munierit, unus extat milliarius, quo legio nominatur via non allata, milliarium[80]) dico repertum inter Thevestem et Hipponem Regium, positum anno 75, quo anno P. Egnatius Catus legatus legionis fuit. In aliis lapidibus nec legio nec via, quae sternebatur, nominata est, nominatur contra legatus Augusti propraetore, quamobrem dubitandum non est, quin legio has quoque vias straverit; hi lapides sunt quatuor, quorum duo Khenschela reperti (VIII. 10186. 10210) in via, quae est Thamugadi Lambaesem positi sunt a. 100, duo in via Lambaese Gemellas ferente (VIII. 10238. 10242 = R. 4305. 4309) positi a. 193. Id addam eam Septimii Severi temporibus, i. e. ante annum 211, quo Severus diem supremum obiit[81]), viam Septimianam fecisse (VIII. 2705 = R. 4361). — Praeterea Traiani temporibus (a. 100) coloniam Marcianam Traianam Thamugadi per legionem III. Aug. esse conditam titulus quidam Thamugadensis (VIII. 2355 = R. 1479) docet. Denique legionis pars burgos speculatorum aedificavit, alterum qui nunc Loth-Bordj nominatur (VIII. 2494 = R. 1647), alterum prope oppidum Gharia-el-Gharbia (VIII. 3). — Legionem etiam castra sua fecisse et per se credibile est et oratione firmatur, quam Hadrianus, cum provincias visitatum proficisceretur, Lambaese apud milites habuit cuiusque fragmenta lapidibus incisa (VIII. 2532 = R. 5) ad nostram pervenerunt memoriam. Dicit enim in hac oratione imperator: »nostra memoria bis non tantum mutastis castra, sed et nova fecistis« unde legionem eo anno, i. e. circa annum 129[82]) his novis iam esse usam

[79]) VIII. 10048. 10062. 10080. 10081. 10086. 10091. 10092. 10114. [80]) VIII. 10119. [81]) Clinton, fasti Romani I. p. 218. [82]) Columnam, cui incisa est illa oratio, positam esse ante annum 129 vel eo anno, inde sequitur, quod Q. Fabius Catullinus, qui tum legatus legionis erat, cum Hadrianus in Africa morabatur, a. 130 consul fuit (Clinton, fasti Rom. I. p. 116) eiusque tituli extant tres (VIII. 2533 = R. 4; VIII. 2609 = R. 6; VIII. 2610 = R. 7), quorum primum a. 129 positum esse inde colligitur,

castris efficitur. Ubi castra legionis fuerint, priusquam Lambaesem transferrentur, paulo supra (p. 23) conieci; id autem constat postea legionem perpetuo his castris esse usam, cui rei documento est ingens numerus titulorum ibi repertorum, in quibus omnes militum gradus nominantur. Ceterum de eis, quae adhuc extant, vestigiis castrorum et de castris ipsis accuratius egit Wilmannsius[83]), quare hoc loco illius dissertationis mentionem facere satis est. Sed non modo hae ruinae, verum etiam tegulae[84]) Lambaese repertae, quibus nomen legionis impressum est, ibi praecipue castra fuisse indicant.

Ut igitur legionem Lambaese castra habuisse certum est, ita non minus aliis quoque locis partes eiusdem in castris fuisse constat.

Nam ut fines provinciae a barbarorum incursionibus defenderentur, milites in singulas regiones distribui necesse erat; quare quod diversis temporibus milites aliis locis praesidio fuisse lapides docent nil miratus sis; ut a. 198 Menae vexillationem fuisse probant tres lapides (VIII. 2467 = R. 1613; VIII. 2465 = R. 1611[85]); VIII. 2466), post a. 253, i. e. post restitutionem legionis Gemellis unus (VIII. 2482 = R. 4095); Cidami quoque atque Thalae vexillationes fuerunt[86]). Dum his locis castra fuisse lapides ipsi aperte demonstrant, aliis quoque fuisse conicere licebit ex satis magno numero titulorum sepulcralium, positorum militibus legionis, ut VIII. 4292 = R. 1585 lapis Batnae repertus tribuno militum legionis III. Augustae, VIII. 4307 = R. 1605 armorum custodi, VIII. 4294 = R. 1587, VIII. 4310 = R. 1599, VIII. 4308. 4309 = R. 1606, 1608 militibus legionis III. Augustae positi, unde sequitur Batnae fuisse stationem

---

quod Hadriani tribunicia potestas XIII. laudatur. Quod autem Wilmannsius columnam intra annos 127 et 129 esse positam conicit, cum legationes triennes soleant esse (cf. ad n. 1185) equidem verum esse non putaverim, cum ut qui legati legionis sunt hoc munere per triennium fungantur fieri quidem possit, sed necesse non sit. 83) In commentat. philol. in honorem Th. Mommseni p. 190 sqq. 84) Tegulae illae legionis III. Augustae rariores sunt (cf. Annuaire de la société archéologique de la province de Constantine 1862 p. 142). 85) Rectissime Henzenum huius tituli litteras PROCNCI interpretatum esse inscriptio C. I. L. VIII. 2466 docet, Henzeno tum non iam nota. 86) cf. C. I. L. VIII. p. 273.

militum. Verecundae quoque fuisse stationem, quod ibi a militibus legionis aedificium quoddam vel tale quid sit factum (VIII. 4203 = R. 1412) et miles sepultus sit (VIII. 4242 = R. 1467) non crediderim, cum Verecunda haud ita multum a Lambaese absit. In pago Phuensium invenitur veteranus leg. III. Aug. p. v. (VIII. 6310 = R. 2416) et miles legionis III. Augustae (VIII. 6311 = R. 2447), Theveste duo milites legionarii (VIII. 1876 = R. 3129; VIII. 2103 = R. 3187), neque vero pro certo affirmaverim duobus illis locis praesidia vel castra fuisse.

Sed de legione ipsa, quibus bellis interfuerit, quae opera publica fecerit, ubi castra habuerit, hactenus; iam videamus, qui praeterea milites in provincia tetenderint. Qua in re distinguendum nobis est inter cohortes auxiliares et vexillationes legionum, quae in aliis terris stationem habebant, interdum autem legioni III. Aug. auxilio sunt missae. Legionibus semper auxilia esse addita inter omnes constat, quare, nisi documenta nobis essent hoc factum comprobantia, ex universo rerum statu auxilia ne in Africa quidem defuisse coniciendum nobis esset. Nam si consideraverimus provinciam, cum a Romanis administrari inciperetur, non ita fuisse pacatam, ut exiguis copiis ad pacem confirmandam esset opus, admodum magnum copiarum numerum Romanos in ea habere debuisse non negabimus, nisi forte primo quoque tempore seditionibus urgueri volebant, quae ne fierent timendum erat, cum populi Numidarum atque Maurorum inquieti atque indomiti seditiose agerent perpetuo; cui rei non modo bellum cum Tacfarinate gestum, verum etiam rebellio illa a Faraxene mota, cuius testis est titulus quidam Auzeae repertus[87]), documento nobis est. Quamquam igitur una legio populos illos vix cohibere potuit, tamen legatus legionis proconsuli partem militum dare cogebatur; unam cohortem quotannis in officium proconsulis esse missam Hadriani docet oratio (VIII. 2532 frg. A b = R. 5). Sed certissimum documentum auxilia cum

---

87) Est titulus positus in honorem (G)argilii, praepositi coh. sing. et vex. eqq. Maurorum in territorio Auziensi praetendentium.

legione fuisse coniuncta iam supra commemoratum est; est titulus positus Antonino Pio et senatui et Fuscino legato et legioni III. Augustae et auxilis eius (VIII. 2637 = R. 24). Quae auxilia legionis III. Augustae praecipue equites fuisse et in Africa conscripta esse Henzenus l. c. demonstravit.

Restat, ut disquiramus, num quaeve aliarum legionum vexillationes certis quibusdam temporibus in Africa fuerint, ut eas cum legione III. Augusta coniunctas fuisse conicere possimus. Ac primum quidem legio VII. Gemina commemoranda est, cuius sex extant tituli[88]). Quorum cum in nullo legio cognomine piae utatur, quod cognomen inde a Caracallae temporibus eam gessisse pro explorato habemus[89]), non potest dubium esse, quin ante hoc tempus in Africa fuerit; sed quoniam in titulo, quem in nota quinto loco apposuimus, L. Mantius centurio legionis III. Augustae fuisse dicitur cognominibus piae vindicis non additis, nihil est, quod vexillationem legionis VII. Geminae ante Septimii Severi tempora legioni III. Augustae subvenisse negemus. Notum est legionem VII. Geminam a Galba institutam Hispaniae provinciae praesidio fuisse; Hadriani temporibus eam in Britanniam missam esse ex titulo Ferentini reperto[90]) apparet, in quo T. Pontius nominatur praep. vexill. miliariis tribus expeditione Britannica, leg. VII. Gem. VIII. Aug. XXII. Primig. Neque nimis audax fuerit conicere eam partem, postquam ex Britannia in Hispaniam transportata est, a. 152 L. Vario Clemente duce cum non-

---

88) VIII. 3075 = R. 490; VIII. 3226 = R. 1125; VIII. 3245 = R. 1197; VIII. 3268 = R. 1257; VIII. 2938; VIII. 7139. Qui primi enumerati sunt tituli quinque aut Lambaese aut prope Lambaesem reperti sunt, sextus Cirtae. Titulum Cirtensem huc esse referendum, quamquam praeter legionem cohors I. Gaetulorum quoque nominatur negari non posse opinor; nam cum Claudius Restitutus praef. coh. I. Gaetul. et trib. leg. VII. Gem. fuerit, honorem eum in legione VII. Gemina post praefecturam cohortis accepisse et in Africa eum fuisse, postquam praefectura est functus, apertum est. 89) cf. Huebneri notam ad Borgh. Oeuvres IV. p. 220. 90) Or. 5456, Wilm. 1620, ubi quae notata sint conferas.

nullis copiis auxiliaribus in Africam esse profectam[91]). — Legio III. Gallica quinquies nominatur, cuius si titulos inspexeris (VIII. 3113 = R. 650, VIII. 2904 = R. 767, VIII. 3049 = R. 1061, VIII. 3157 = R. 1357, VIII. 4318 = R. 1599), milites omnes primo in legione III. Gallica stipendia fecisse, tum in legionem III. Augustam translatos esse invenies; quare certo quodam tempore legionis III. Gallicae partem in legionem III. Augustam receptam esse censeo. Et refert disquirere, quonam tempore hoc factum sit. Cum in titulo Lambaesitano (VIII. 2904 = R. 767) legio III. Augusta Severia[92]) nominetur, cumque tum militem de legione III. Augusta missum esse titulus doceat, i. e. Severi Alexandri temporibus, legionem III. Gallicam ante Alexandri tempora partem militum suorum in Numidiam misisse elucet. Atqui legionem III. Augustam Elagabali expeditioni orientali interfuisse iam demonstratum est; quare cum legionem III. Gallicam in Phoenicia tum stationes habuisse[93]) sciamus, veri absimile non est, bello confecto cum legio III. Augusta in Africam regrederetur, vexillationem legionis III. Gallicae cum ea coniunctam esse. — Legionis VI. Ferratae duo extant tituli Africani[94]), quorum alter vexillationem huius legionis sub Antonino Pio viam fecisse a. 145 aut paulo ante est documento[95]). — Num legio III. Cyrenaica, cuius unus extat titulus (VIII. 5678 = R. 2567), huc referenda sit, quae initio in Aegypto, tum Bostrae in urbe Arabiae stationes habuit, incertum est.

Quae in provinciis ad Danuvium sitis tendebant legionum lapides extant complures: legionis I. Adiutricis (VIII. 9376

91) Dubito an huc referenda sit inscriptio VIII. 3226 = R. 1125, ubi Renierus litteras LVGO »Lugovallo« explicavit; quo, si legendum sit, definiri potest quo tempore vexillatio in Africam traducta sit. Fieri enim potest, ut miles, cuius titulus ille mentionem facit, brevi antequam Hadrianus imperium suscepit, natus in vexillationem leg. VII. Gem. sit receptus et deinde expeditioni in Mauretaniam factae interfuerit.

92) Severia pro Severiana erratum videtur esse aut quadratarii aut eius qui tituli textum composuit. 93) cf. Grotefendium in: Zeitschrift für Altertumswissenschaft.. 94) VIII. 10230 = R. 4360; VIII. 2490 = R. 1649, ubi Renierus recte iudicasse arbitror, legendum esse: vexillatio legionis VI. Ferratae. 95) cf. quae infra de Prastina Messalino dicentur.

= R. 3933), legionis V. Macedonicae (VIII. 2867 = R. 622), legionis Claudiae (VIII. 3271 = R. 1265; VIII. 1874 = R. 3104)[96]), legionis XIV. Geminae (VIII. 3007 = R. 1390; VIII. 1858 = R. 3085), quarum milites nonnullos una cum copiis auxiliaribus in Africam venisse non absimile veri videtur esse, quo tempore L. Varius Clemens dux erat.

Quae si in universum contemplatus eris, auxilia aut ex Britannia aut ex Syria aut ex provinciis ad Danuvium sitis missa esse intelleges; neque indignum est commemoratu unum centurionem legionis III. Augustae (VIII. 2907 = R. 774) in omnibus legionibus Britannicis stipendia fecisse, alterum (VIII. 3005 = R. 315) in legionibus, quae ad Danuvium tendebant, in legione XX. Valeria Victrice, quae in Britannia erat, in cohorte III. Bracaraugustorum[97]), quam et ipsam in Britannia fuisse scimus.

PARS POSTERIOR.

De ducibus legionis III. Augustae.

Anno 727 cum provinciae Romanae inter Augustum et senatum dividerentur eo modo, ut senatoriis provinciis proconsul praeesset, imperatoriis excepta Aegypto quam semper praefecti equestris ordinis regebant, legatus Augusti senatorii ordinis, Africa senatui obvenit et a proconsule administrabatur. Quae provincia cum perpetuis barbararum gentium incursionibus esset exposita, Augustus maiorem copiarum numerum in ea collocandum curavit, quarum primum locum legionem III. Augustam obtinuisse iam vidimus; quare fiebat, ut legioni initio quidem proconsul praeesset. Itaque enumeremus necesse est seriem proconsulum, qui prima imperatorum aetate provinciam regebant, qui aut ex titulis aut ex nummis aut ex rerum scriptorum locis nobis sunt noti. Cum

---

[96]) Cum in duobus titulis numerus legionis desit, utrum una legio Claudia intellegenda sit an duae, incertum est, sed nihil refert, quoniam utraque in provinciis ad Danuvium sitis collocata erat. [97]) Cohors III. Bracaraugustorum in Britannia erat anno 103, a. 108 in Raetia, a. 124 iterum in Britannia (cf. C. I. L. VII. ind.).

autem Gaius imperator proconsulis Africae potentiam nimis timeret, a. p. C. 38 eum imperio copiarum destituit[1]) quod legato Augusti praetorio detulit. Itaque fit, ut proconsules nisi ad illum annum non enumeremus.

1. L. Domitius Ahenobarbus, cos. 738[2]), proconsul Africae a. 742[3]).

2. P. Quinctilius Varus cos. 741[4]), proconsul fortasse 747[5]). Eius nummus unus extat Hadrumetinus[6]), cuius in averso legitur: P. QVINTILI VARVS, unus Achullitanus[7]), cuius uni lateri inscribitur: P. QVINCTILI · VARI · ACHVLLA.

3. Africanus Fabius Maximus, cos. 744[8]), proconsul non ante a. 750[9]), in duobus nummis Hadrumetinis[10]) nominatur.

4. L. Volusius Saturninus cos. 742[11]), proconsul intra a. 748 et 755. Cum legem Pompeiam Augusto imperante valuisse docuerimus, eum ante a. 748 proconsulem esse non potuisse manifestum est; eum proconsulem post a. 755 non fuisse inde efficitur, quod in duobus nummis Achullitanis (Müller II n. 9. 10) capita Gai et Luci Caesarum conspiciuntur, quorum hic a. 755 decessit[12]). Huius proconsulis quin-

---

1) Tac. hist. IV. 48. 2) C. I. L. I p. 546. 3) Eo anno eum proconsulem fuisse decreto Gurzensi (Or. 3693) firmatur facto P. Sulpicio Quirinio C. Valgio coss (cf. C. I. L. I p. 546). 4) C. I. L. I p. 546. 5) Ita coniecit Borghesius (Oeuvres I. p. 309) ex lege Pompeia data a. 702 (cf. Marquardt, Staatsaltert I. 382), quam Augusti quoque temporibus valuisse et Dio (LIII. 14) et Suetonius (Aug. c. 36) sunt testes. Eadem de causa Eckhelium non recte iudicasse dico (D. N. IV p. 134), cum Varum fuisse proconsulem a. 741 vel 742 censeat. 6) Müller, numism. de l'anc. Afr. II n. 26. 7) Müller II n. 7. 8) Et anni 743 et anni 744 invenitur consul, cui nomen est Fabio Maximo, alteri Quinto, sed rectissime Borghesius (Dec. IV. osserv. 10) monuisse mihi videtur Quintum fuisse proconsulem Africae, qui et apud Dionem nominatur (LIV. 36) et apud Suetonium cognomen Africani habet (Claud. c. 2). 9) scl. quod lege Pompeia impediebatur, quominus proconsulatum ante hoc tempus susciperet. 10) Müller II. n. 29. 37. 11) Etiam a. 756 consulem fuisse L. Volusium Saturninum fasti demonstrant (C. I. L. I. p. 548), sed ex nummo Achullitano (Müller II. n. 9) nostrum fuisse consulem a. 742 una cum Caninio Rebilo (Tac. ann. III. 30) elucet, cum in nummo L. et C. Caesarum imagines appareant, quorum alterum a. 755 mortuum esse notum est. Mommsenus (Herm. III. p. 269) proconsulem eum 748/749 fuisse censet, nescio qua causa. 12) cf. Cenotaphia Pisana (Or. 642. 643, Wilm. 883).

que extant nummi[13]), quorum unus Gergi, duo Achullae, duo Hadrumeti cusi sunt; proconsul nominatur in nummo Gergitano.

5. L. Passienus Rufus cos. 750[14]), procos. fortasse a. 756[15]); habemus nummum unum cusum Hippone Diarrhyto, cuius in averso legitur: IMP. CA(ES) .... DIVI · F · P · P, in reverso L PASS ... RVFVS I · M · P (Müller II. n. 39 a).

6. Cornelius Lentulus Cossus cos. 753[16]), procos. 759[17]).

7. L. Nonius Asprenas cos. 759[18]), procos. 767, quem annum lapides duo milliarii testantur, quos supra commemoravi[19]).

8. Furius Camillus cos. 760[20]), procos. 770[21]).

9. L. Apronius cos. suff. a. 761[22]), procos. 771—773[23]). Anno 773 eum proconsulem fuisse Tacitus est testis; verum eum iam antea proconsulatum gessisse nummi indicant quatuor Clypeae cusi, unus Hippone Diarrhyto, qui L. Apronium proconsulem tertium nominant. Itaque annis 771. 772 eum

---

13) Müller II n. 65. 9. 10. 27. 28. 14) C. I. L. I p. 548. 15) Hunc quidem annum posuit Borghesius (Ann. dell' Inst. 1848 p. 271), quod nummi quem in textu citavi, in altero latere caput imberbe videmus quod Borghesius, quoniam Passienus Rufus aetate iam provectus esset, cum proconsulatum Africae susciperet, G. Caesaris esse censuit. Imagines G. et L. Caesarum in nummis Africanis inveniri iam vidimus. Borghesius igitur, quod L. Caesaris die XX. m. Aug. a. 755 defuncti imago deest, nummum intra annos 755 et 757 — hoc enim anno mortuus est G. Caesar — cusum esse contendit. Quare anno 756 Passienum fuisse proconsulem dicit, qui annus ea de causà commendari videtur, quod secundum legem Pompeiam post consulatum legitimus est. 16) C. I. L. I p. 548. 17) Eo enim anno illum contra Gaetulos rem bene gessisse Dio (LV, 28) narrat, quamobrem eum Africae proconsulem tum fuisse haud quisquam negaverit collatis eis, quae de eo refert Velleius (II. 116). Nescio an hoc loco interponendus sit proconsulatus Aelii Lamiae, cuius, siquidem recte Ruhnkenius coniecit pro »etiam« quod omnino ferri non potest, esse scribendum »Ael. Lamia«, Velleius mentionem facit (cf quae notantur ad II. 116 in editione Kritziana). Consul fuit a. 756 (eph. epigr. III p. 11). Sed de hoc proconsulatu dubitari licebit. Cui autem coniectura Ruhnkeniana probatur, is proconsulatum non ante a. 762 ponet impediente lege Pompeia nec post annum 767, quo L. Nonius Asprenas proconsulatum gessit. 18) C. I. L. I p. 548. 19) cf. p. 7 n. 2. 20) C. I. L. I p. 548. 21) vide quae Tacitus (ann. II. 52, III. 20) de eo refert. 22) C. I. L. I p. 548. 23) Tac. ann. III. 21.

in Africa fuisse censebimus, quoniam Camillo successit in proconsulatu.

10. Q. Iunius Blaesus cos. suff. 763[24]), procos. 774.775[25]).

11. P. Cornelius Dolabella cos. 763[26]), procos. 776.777[27]). Habemus nummos sex Clypeae cusos[28]), qui proconsulatum hunc commemorant, quorum unum[29]) anni aut 776 aut prioris esse necesse est, quoniam Drusus, cuius nomen in nummo legitur, a. 776 decessit. Sed ante hunc annum nummum cusum esse nego, quod a. 774 et 775 Blaesum fuisse proconsulem modo demonstravimus.

12. G. Vibius Marsus cos. 758[30]), procos. 780—783[31]), duodeviginti habemus nummos Uticenses, quos tempore inde ab anno 780 usque ad annum 783 cusos esse Muellerus docuit.

13. M. Iunius Silanus cos. 772[32]), procos. 784—790[33]).

Cum M. Silanus proconsul Africae esset, G. Caesar[34]) metuens ne proconsul potentia abuteretur, ut exercitus in posterum non iam proconsuli pareret, sed legato[35]) misso ad eam rem constituit. — Itaque cum duces legionis enumerare velimus, nunc quos legatos legioni praefuisse scimus nominabimus.

Quo tempore Nero diem supremum obiit, i. e. anno 68, exercitus Africani legatus erat Clodius Macer[36]), cuius iam in enarratione historiae legionis mentio est facta[37]). Galbae iussu interfectum secutus est

---

24) C. I. L. I p. 550. 25) Tac. ann. III. 35. 58. 72—74. 26) C. I. L. I p. 550. 27) Tac. ann. IV. 23. 25. Eum anno 776 iam proconsulatum gessisse inde quoque efficitur, quod Tacitus eum Blaeso successisse dicit. 28) Müller II n. 335—340. 29) n. 340. 30) C. I. L. I p. 548. 31) Müller II n. 355—372 ubi quae notantur de Marsi proconsulatu videsis. 32) cf. Clinton, fasti Romani p. 4. 33) His annis eum fuisse proconsulem ex inscriptione a Kellermanno (Vig. n. 257) allata sequitur, quae Maenio cuidam Basso praefecto fabrum M. Silani sextum posita est. Anno 790 eum fuisse proconsulem narratione Tacitea docemur. 34) Tac. hist. IV. 48. 35) Hos legatos cave confundas cum eis, qui proconsuli parebant eiusque nomine ius dicebant, quorum multi in titulis nominantur, velut: Uttedius Marcellus (C. I. L VIII. 24), Valerius Festus in inscriptione civitatis Ucres (VIII. 1170) . . . . cius Rufinus in titulo Vagensi (VIII. 1219), Fabianus in titulo Laritano (VIII. 1782) alii. 36) Tac. hist. I, 11. 37) v. supra p. 16.

2. Valerius Festus, Vitelli propinquus, qui eam legationem annis 69 et 70 gessit[38]).

3. P. Egnatius Catus legatus a. 76. Eius duos habemus titulos (VIII. 10116, 10119), positos illo anno, quem annum indicat Vespasiani tribunicia potestas VII. in priore titulo commemorata.

4. Cn. Pinarius Cornelius Clemens legatus propr. exercitus qui est in Africa (C. I. L. III p. 852).

5. Domitius Afer, missus ab imperatore Vespasiano Augusto legatus propraetore ad exercitum, qui est in Africa (Mur. 766, 5, cf. Marini p. 765)[39]).

6. L. Munatius Gallus legatus Augusti propr. Quatuor eius extant tituli, quorum duo lapides milliarii sunt; alter Khenschelae repertus est (VIII. 10186), alter in via Thamugadi Lambaesem ferente (VIII. 10210). Cum Traianus a. 100 trib. pot. IV. cos. III esset[40]), quo anno Gallus legatus fuit, dubium esse non potest. Tertius titulus (VIII. 2355 = R. 1479) ad coloniam Thamugadi, quam a legione III. Augusta Traiani temporibus conditam esse iam memoravimus[41]) pertinet. Quartum denique titulum (VIII. 10667) non ante exeuntem annum 102 vel ineuntem annum 103 positum esse inde sequitur, quod in eo Traianus Dacicus appellatur, quod cognomen eo tempore accepit[42]).

7. L. Minicius Natalis legatus legionis III. Aug. a. 104 vel 105 teste titulo uno in Oasi Nigrensium Maiorum reperto (VIII. 2478). Quamquam duos eius praeterea habemus titulos (C. I. L. II. 4509; C. I. L. VIII. 4676), tamen tempus, quo legatus fuit, accuratius definiri non potest.

8. C. Octavius Iavolenus leg. leg. III. Aug.[43]) quem Traiani temporibus Mommsenus optimo iure mihi attribuisse videtur.

9. P. Metilius Secundus leg. Aug. pr. pr. a. 123. Hunc

---

38) cf. Tac. hist. II. 98 et titulum Tergestinum (C. I. L. V. 534), ubi quae adnotavit Mommsenus vide. 39) De Clementis et Afri titulis vide quae Mommsenus exposuit in Anall. epigr. 20 (Berichte der königl. sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften 1852). 40) C. I. L. III p. 1110. 41) vide supra p. 24. 42) cf. Wilm. Exempl. 934 n. 1; Momms. Herm. III. p. 127 sq. 43) C. I. L. III. 2864, ubi quae Mommsenus adnotavit conferas.

esse annum legationis eius ex tribus titulis efficitur (VIII. 10048. 10081. 10114), unde duorum aliorum titulorum (VIII. 2357 = R. 1483; VIII. 2591 = R. 3) tempus suppleri potest. Praeterea complura extant fragmenta (VIII. 10062. 10080. 10086. 10091. 10092), quae quin ad eum pertineant dubitari non potest, quoniam aut nominis pars in eis legitur, velut in VIII. 10062, aut tribunicia potestas VII. Hadriani.

10. Q. Fabius Catullinus leg. Aug. pr. pr. a. 129. Eius tres extant tituli, quorum duos (VIII. 2609. 2610 = R. 6. 7) hoc loco neglegamus, quoniam nihil afferunt utilitatis ad tempus legationis definiendum, tertius (VIII. 2533 = R. 4) eum illo anno fuisse legatum demonstrat, quo Hadrianus trib. pot. XIII. fuit, i. e. anno 129[44]). Idem est Catullinus, quem Hadrianus oratione, quam Lambaese apud legionem eiusque auxilia habuit (VIII. 2532 frgg Aa, Db = R. 5), laudasse videtur. Num etiam antea legatus fuerit, non liquet; id constat eum postea non iam legioni praefuisse, cum anno 130 consulatu sit functus[45]).

11. P. Cassius Secundus leg. Aug. pr. pr. Hadriani temporibus legioni praefuit, quo vero anno non patet, cum unus quem habemus titulus (VIII. 2354 = R. 1) non ita sit compositus, ut ad certum quendam annum referri possit.

12. Sex. Iulius Maior leg. Aug. leg. III. Aug. pr. pr. Hunc quoque Hadriano imperante legatum fuisse titulus docet Rusicadensis (VIII. 10296 = R. 2296). Sed praeterea duos habemus titulos, qui etsi nomen legati mutilatum est, tamen, cum in iis Sex. Iul. legatur, ad eundem referendi esse mihi videntur, titulos dico Lambaesitanos VIII. 2680. 2681.

13. T. Caesernius Statius Macrinus leg. Aug. pr. pr. a. 141. Habemus unum eius titulum honorarium Cirtensen (VIII. 7036 = R. 1817), quem Pio iam regnante positum esse inde efficitur, quod Hadrianus divus appellatur; in altero titulo Thamugadensi (VIII. 2361 = R. 1488) nomen quidem legati deest, sed quin in Corpore recte suppletum sit, vix dubitandum est. Quare cum in hoc titulo Antonini Pii tribunicia potestas IV legatur, Macrinum a. 141 legatum fuisse constat.

---

[44]) C. I. L. III. p. 1111. [45]) cf. Clinton fasti Romani I. p. 116.

14. C. Prastina Messalinus leg. Aug. pr. pr. annis 145. 146. Anno 145 eum fuisse legatum titulus ille Khanga-Tigaminin repertus (VIII. 10230 = R. 4360) demonstrat, in quo quartus Pii, M. Aurelii alter consulatus commemoratur[46]). Anno 146 lapidem Lambaesitanum positum esse (VIII. 2536 = R. 11) Pii trib. pot. IX demonstrat. Tertius denique titulus (VIII. 2535 = R. 10), cum Pius consul III. nominetur, intra annos 140 et 145 positus esse videtur, nisi forte quadratarii errore una hasta omissa est. Cum vero titulus mutilatus ad nos pervenerit, eius hoc loco rationem non habeam, ut dubium sit, num iam ante annum 145 C. Prastina Messalinus legatus fuerit.

15. L. Novius Crispinus leg. Aug. pr. pr. annis 147 et 148. Ex quinque, quos huius legati habemus titulis, quatuor Lambaesitanis, uno Verecundensi unum (VIII. 2542 = R. 17) a. 147 positum esse ex Antonini Pii tribunicia potestate X colligimus, alterum (VIII. 2652 = R. 18) anno 148 tribuendum esse tribunicia potestas XI docet. In tertio (VIII. 2747 = R. 19) imperatoris nomen omissum est; est titulus honorarius positus legato a veteranis legionis III. Augustae, qui militare coeperunt Glabrione et Torquato, item Asiatico II. et Aquilino coss.[47]). Qui viri cum annis 124 et 125 consules fuerint, haud scio an Wilmannsio[48]) assentiendum sit, qui hunc titulum anni esse vel 149 exeuntis vel 150 ineuntis iudicat. Restant duo tituli, alter Lambaesitanus (VIII. 2693 = R. 20), alter Verecundensis (VIII. 4199 = R. 1410), quorum, etsi quo tempore positi sint non intellegitur, hic ante annum 148 vel 149 incisus esse non potest, quoniam Crispinus consul designatus iam nominatur eumque a. 147 non iam ad consulatum fuisse designatum titulus Lambaesitanus (VIII. 2542 = R. 17) est documento.

16. M. Valerius Etruscus leg. Aug. pr. pr. a. 152. Ti-

[46]) cf. Clinton, fasti Romani I p. 134. [47]) Wilm. Exempl. inscr. Lat. n. 1185 n. 3 et 4. [48]) Hanc coniecturam non satis esse firmam concedo, quoniam num ii soli veterani nominati sint, qui quina et vicena stipendia meruerunt, id quod Wilmannsius posuit, non satis constat, immo fieri potest, ut interdum ii, qui quina et vicena stipendia meruerant, in exercitu remanerent; id si verum est, titulus iam ante annum 148 positns esse potest.

tulum enim Lambaesitanum (VIII. 2543 = R. 4071), in quo ille commemoratur, hoc anno positum esse tribunicia potestas XV. Antonini Pii docet, quare alterum quoque titulum (VIII. 2163) eodem fere anno positum esse satis dilucidum est. Notissimus est legatus ex epistula illa (VIII. 2728), quam L. Varius Clemens ad eum dedit, qua petit, ut Nonium Datum, veteranum leg. III. Aug. libratorem ad se mittat, ut compertusionis montis opus perficiat.

17. L. Matuccius Fuscinus leg. Aug. pr. pr., cuius quatuor lapides faciunt mentionem. Qui quo tempore legatus fuerit, titulus ille El-Kantara repertus (VIII. 2501 = R. 1631) indicat, ex quo eum a. 158 fuisse legatum apparet[49]). Ex eo lapide alterum supplere possumus Lambaese repertum (VIII. 2653 = R. 22), cum eum eiusdem anni esse atque praecedentem pateat. Qui praeterea Fuscinum nominant tituli (VIII. 2630. 2637 = R. 23. 24) hoc loco omittere liceat, quoniam nihil afferunt novi.

18. D. Fonteius Frontinianus L. Stertinius Rufinus leg. Aug. pr. pr. annis 160—162. Magnus eius extat numerus titulorum, quorum sex Lambaese reperti sunt (VIII. 2579 d, 2579 e, 2738, 2739 = R. 29—32; VIII. 2694, 2740), quatuor Verecundae (VIII. 4203. 4205. 4232 = R. 1412. 1413. 1416; VIII. 4204), tres vel quatuor Dianae (VIII. 4599 = R. 1722; VIII. 4589 = R. 1721; VIII. 4590 = R. 1720[50]); VIII. 4582 = R. 1719), unus Milevi (VIII. 8208 = R. 2307[51]). Horum tres, scl. duo Verecundenses (VIII. 4203 = R. 1412; VIII. 4204), unus Lambaesitanus (VIII. 2694) anni 160 sunt. Nam Verecundenses huius esse anni ex trib. pot. XXIII concluditur[52]), Lambaesitanus quidem mutilatus est, ita tamen, ut ex verbis servatis ipsum illo anno esse positum colligi debeat, ad quod tempus consulatus alter, imperatoria dignitas quartum suscepta Antonini Pii spectat. Tituli duo Verecundenses Frontinianum leg. Aug. pr. pr. nominant, quod cum

[49]) Eo enim anno Pius trib. pot. XXI. fuit (cf. Clinton I. p. 144). [50]) Huius fragmenta tantum extant, quae Renierum recte supplevisee puto. [51]) Hunc titulum non esse positum ante a. 161 vocabulo Augustorum demonstratur. [52]) Clinton I. p. 146.

etiam in his fiat: VIII. 4205 = R. 1413; VIII. 4582 = R. 1719, hos quoque eodem tempore positos esse atque illos putamus. Sequuntur duo tituli Dianenses (VIII. 4589. 4590 = R. 1721. 1720), quos a. 162 incisos esse inde colligitur, quod L. Veri tribunicia potestas II, consulatus alter laudatur[53]), quo anno Frontinianus ipse consul designatus est. Quare alios quoque titulos, in quibus legatus cos. design. nominatur, eidem anno esse tribuendos censeo: VIII. 2579d. e = R. 29. 30; VIII. 2738. 2739 = R. 31. 32. Cum igitur cos. des. fuerit a. 162, fieri non potest, quin consulatum gesserit a. 163, cuius anni tituli duo sint necesse est, scl. VIII. 2740; VIII. 4599 = R. 1722. Restat unus titulus Verecundensis, quem cum Frontinianum consularem appellet post a. 163 positum esse manifestum est. Sed hunc quidem titulum ad tempus legationis definiendum vim non habere consentaneum est, quoniam Frontinianum post consulatum legationem suscepisse vix credibile est. Nam quamquam in titulo Frontinianus leg. Augg. pr. pr. nominatur, tamen eo anno, quo titulus honorarius positus est, a legatione eum esse remotum et munus illud legationis esse commemoratum, quomodo plerumque ordo honorum, quos quisque suscepit, enumeratur, censeo.

19. C. Maesius Pacatianus vel quod veri est similius Picatianus leg. Augg. pr. pr. a. 165[54]) fuit, ut ex lapide ipso Dianae reperto (VIII. 4591 = R. 1724) sequitur. Cum eius praeter hunc lapidem habeamus nullum, nihil ultra de eo observandum esset, nisi idem videretur esse atque is, cuius nomen in inscriptione Brixiensi (C. I. L. V. 4338) legitur. Allectus igitur est ab imperatore Antonino Pio inter tribunicios, deinde praetor factus. Tum M. Aurelio imperante legationem illam suscepisse videtur, quippe quae praetoria fuerit.

20. Venustus. Hoc solum nomen in uno, qui nobis servatus est, lapide reperto Verecundae (VIII. 4195 = R. 1417) legimus, quem anno 166 positum esse ex trib. pot. XX. M. Aureli et trib. pot. VI L. Veri patet[55]). Huius viri nullam aliam, quam equidem sciam, habemus inscriptionem[56]).

---

[53]) ibid. p. 150. [54]) Supplementa dubia non sunt; cf. Clinton I. p. 154. [55]) cf. Clinton I. p. 156. [56]) Num legatis legionis P. Iulius Geminius Marcianus quoque sit adnumerandus, dubito. Nam

21. M. Aemilius Macer Saturninus leg. Aug. pr. pr. a. 172 —174 octo titulis Africanis nobis est notus, quorum unum (VIII. 4209 = R. 1419) a. 172 positum esse ex M. Aurelii trib. pot. XXVI. cognoscitur[57]; cum ut in hoc, ita in sex aliis titulis (VIII. 2546. 2731. 2730. 4229. 4228. 4210 = R. 38. 40. 41. 1420. 1421. 1418) Saturninus leg. Aug. pr. pr. nominetur, eos eodem fere anno incisos esse probabile est. Restat unus titulus Lambaesitanus (VIII. 2564 = R. 39) anni 174, quo anno M. Aurelius trib. pot. XXVIII. fuit[58], qui titulus Saturninum eo anno fuisse consulem designatum demonstrat. Quae cum ita sint, praefuisse eum legioni inde ab a. 172 usque ad a. 174 censebimus.

22. P. Caelius Optatus leg. Aug. pr. pr. leg. III. Aug. (VIII. 2736 = R. 42) incerti quidem anni, sed procul dubio imperante M. Aurelio, quoniam idem videtur esse atque is, ad quem Fronto epistulam dedit[59].

23. A. Iulius Pompilius Piso leg. Aug. pr. pr. leg. III. Aug. Eius quinque habemus titulos, quorum tres quidem mutili sunt. Anno 176 eum fuisse legatum titulus Lambaesitanus (VIII. 2547 = R. 45) docet[60]. Tres alios quoque (VIII. 2488. 2744. 2745 = R. 1650. 46. 48) eodem anno vel paulo post compositos esse pro explorato habeo, quoniam in his quoque ut in illo leg. Aug. pr. pr. nominatur. Quintum denique titulum (VIII. 2582 = R. 47), qui eum ad consulatum esse designatum demonstrat, post hos incisum esse apertum est.

eius in titulo (VIII. 7050 = R. 1818), qui in latere sinistro illisus est, cum nisi propr. provinc. Africae nihil legatur, quod ad legationem illam pertineat, eum legatum aut proconsulis aut legionis fuisse apertum est. Sed si legatus legionis fuerit, ita ut in lapide esset legendum: leg. Augg. pr. pr. prov. Africae, eum M. Aureli temporibus legioni praefuisse necesse est. Titulus enim cursum honorum, quibus Marcianus est functus, ita enumerat, ut ab summo ad infimum descendatur, quamobrem eum legationem provinciae Africae ante legationem Arabiae suscepisse oportet. Legatus vero provinciae Arabiae fuit annis 166—169, id quod Renierus (mélanges d'épigraphie p. 124) demonstravit. Quare legationem Africae ante a. 166 eum habuisse constat.

57) cf. C. I. L. III p. 1112.

58) cf. Clinton I. p. 168.

59) cf. Frontonis epistularum ad amicos I. 13 editionis Niebuhrianae.

60) Eo anno M. Aurelius trib. pot. XXX fuit (C. I. L. III p. 1112).

24. L. Vespronius Candidus[61]) leg. Aug. pr. pr. Unus nobis titulus Africanus (VIII. 2752) nomen eius praebet, isque valde mutilatus. Tamen de eo vix quisquam dubitaverit, collato titulo quodam Albae Iuliae reperto (C. I. L. III. 1092), quo consul nominatur[62]). Qui cum intra annos 183 et 185 positus sit, non multo ante a. 183 aut ei ipsi anno titulus Africanus videtur tribuendus esse[63]).

25. T. Caunius Priscus leg. Aug. pr. pr. Legatum eum a. 186 fuisse titulus Lambaesitanus (VIII. 2697 = R. 53) docet, qui etsi mutilatus est, tamen ad illum pertineat necesse est. Num eo iam anno ad consulatum fuerit designatus, ignoratur; si designatus non fuit, reliquos duos titulos (VIII. 2583 = R. 1402; VIII. 2588 = R. 54) posteriore tempore esse incisos apparet.

26. Ti. Claudius Gordianus v. c. leg. Aug. pr. pr.; qui quo tempore legatus fuerit titulus unus docet repertus non ita longe ab El-Kantara (VIII. 2495); eum cum Commodus trib. pot. XIII. fuit i. e. anno 188[64]) legioni praefuisse constat. Reliquos titulos (VIII. 2499 = R. 1638; VIII. 2533, 2365), qui nomen eius praebent, hoc loco omittendos esse censeo, quoniam demonstrant quidem titulum, quem attulimus, recte esse suppletum, quo tempore positi sint non demonstrant.

27. M. Valerius Maximianus leg. Aug. pr. pr. leg. III. Aug. v. c. Eius sex extant tituli, quorum nullius tempus accuratius definiri potest; id modo docent tituli, eum legatum fuisse Commodi aetate et paulo post. Horum antiquissimus videtur esse VIII. 4600 = R. 1718, ubi consul designatus nominatur, fortasse etiam VIII. 2698 = R. 37; reliqui positi sunt postea, ut ex vocabulo consulis intellegimus (VIII. 2626 = R. 25; VIII. 2749 = R. 26; VIII. 4234 = R. 1411) Sextus denique titulus (VIII. 4212) cum divo Commodo positus sit, Commodo mortuo Maximianum fuisse legatum documento est.

---

61) vide quae p. 10 n. 20 conieci. 62) cf. quae observavit de eo Borghesius in: Annal. dell' Inst. 1855 p. 32. 63) In oppido El-Gara sito in Mauretania Sitifensi repertus est titulus quidam (VIII. 8782), et is valde mutilatus, in quo legitur PRONiVS S LEG aug PR PR, qui titulus haud inepte mihi videtur referri ad Vespronium Candidum; verum quo anno positus sit, non intellegitur. 64) cf. Clinton I. p. 184.

Nam a. 188 Claudius Gordianus legatus fuit, a. 192 Q. Clodius Rufinus legioni iam praeerat; ergo Maximianus legatus fuit intra annos 188 et 192. Titulus eius Apulensis (C. I. L. III. 1122) nihil iuvat ad tempus legationis definiendum.

28. Q. Clodius Rufinus leg. Aug. pr. pr. Eum anno 191 vel 192 legioni praefuisse titulus Verecundensis (VIII. 4211) docet.

29. L. Naevius Quadratianus leg. Aug. pr. pr. fuit a. 193, quo anno Helvius Pertinax et imperator et consul iterum fuit[65]). Eius titulos habemus duos repertos in via inter Lambaesem et Biscram (VIII. 10233 = R. 4305; VIII. 10242 = R. 4309).

30. Q. Anicius Faustus notissimus legatus legioni praefuit annis 197 et 198. Magnus eum numerus titulorum Lambaesitanorum nominat (VIII. 2527 = R. 62; VIII. 2528 = R. 61; VIII. 2549 = R. 64; VIII. 2550 = R. 56; VIII. 2551 = R. 57; VIII. 2552 = R. 65; VIII. 2553, 2558), unus Arsacalitanus (VIII. 6048), unus repertus in oppido Msad (VIII. 8796), quorum unum (VIII. 6048) anno 197 positum esse trib. pot. X Septimi Severi docet[66]); ceteri propter Severi trib. pot. XI anno 198 tribuendi sunt[67]). Habemus praeterea duos titulos (C. I. L. III 1685. 1686) quorum priore, posito intra annos 202 et 209, tum eum consulatu iam esse functum demonstratur.

31. Sex. Varius Marcellus leg. leg. III. Aug. praeses provinciae Numidiae fortasse idcirco hoc loco haud sine iure inseritur, quod Elagabali pater fuit, quamobrem circa Septimii Severi aetatem legationem eum suscepisse puto. Eius titulus extat Veliternus (C. I. Gr. 6627).

32. Subatianus Proculus leg. Augg. fuit a. 208, ut titulus Lambaesitanns (VIII. 4323 = R. 1404) demonstrat.

33. M. Aurelius Cominius Cassianus c. v. leg. Augg. pr. pr.

---

65) cf. Clinton I. p. 190. 66) At dicat quispiam: Lapis hoc loco fractus est, neque est, cur antea trib. pot. XI esse lectum negemus, ita ut is quoque titulus a. 198 tribuendus sit. Sed adversatur huic opinioni, quod Q. Anicius Faustus cos. design. non nominatur, qua significatione nullus praeterea titulus caret. Consul designatus autem fuit a. 198 teste inscriptione VIII. 2550 = R. 56, qua Severi trib. pot. XI commemoratur. 67) Cuius anni titulus Msad repertus sit non perspicitur, quoniam lapis non totus nobis est servatus.

Eum, cuius octo tituli faciunt mentionem, septem Lambaesitani (VIII. 2585 = R. 68; VIII. 2587 = R. 81; VIII. 2611 = R. 76; VIII. 2657 = R. 78; VIII. 2732 = R. 77; VIII. 2733 = R. 80; VIII. 2734 = R. 79), unus Mastarensis (VIII. 6357), inde ab anno fere 209 usque ad annum 211 vel 212 legatum fuisse censebimus, quod titulo VIII. 2611 = R. 76 consulatus Caracallae tertius, Getae alter laudatur, id quod Wilmannsius in Corpore ad hunc titulum sagaciter exposuit, hic consulatus autem in annum 209 incidit, quodque titulus Mastarensis anno 211 vel 212 positus est, quoniam Cassianus leg. Augg. nominatur, ita vero, ut altera littera g postea erasa sit, id quod titulum positum demonstrat eo tempore, quo Caracalla et Geta imperatores erant[68]). — Quare recte fecit Wilmannsius, quod unum titulum Lambaesitanum (C. I. L. VIII. 2585 = R. 68) ad M. Aurelium Cominium Cassianum rettulit. Itaque hic titulus positus sit necesse est ante Septimii Severi mortem, i. e. ante annum 211[69]) vel eodem anno ipso, cum titulus sit dedicatus pro salute trium Augustorum, quorum unius, Getae, nomen postea erasum est.

34. C. Pomponius Magnus leg. Augg. pr. pr. c. v. praeses, cum duorum Augustorum legatus nominetur, ante M. Aureli et L. Veri aetatem legationem certe non suscepit; cum vero clarissimatus honor nomini additus sit, rectissime Wilmannsius (VIII. 2748 = R. 49) adnotasse mihi videtur, eum aut anno 211 aut anno 212 legatum fuisse.

35. M. Valerius Senecio leg. Aug. pr. pr. c. v., cuius nomen tribus inscriptionibus Lambaese (VIII. 2619, 2750[70]), 2751 = R. 86. 88. 87), una Loth-Bordj (VIII. 2494 = R. 1647) reperta legimus, legatus fuit Caracallae temporibus, ut ex inscriptione Loth-Bordj reperta apparet.

36. P. Iulius Iunianus Martialianus leg. leg. III. Aug. Severianae Alexandrianae praeses (VIII. 7049 = R. 1839), leg. Aug. pr. pr. prov. Numidiae (VIII. 2392 = R. 1505), leg.

---

[68]) v. quae Wilmannsius adnotavit ad Exempl. inscr. Lat. 1477. [69]) Pridie Non. Febr. eius anni Severum diem supremum obiisse testes sunt: Dio LXXVI. 15, Herod. III. 15, Sept. Sev. vita c. 19. [70]) Quin inscriptio haec recte suppleta sit dubitari non potest.

Aug. pr. pr. c. v. cos. praeses (VIII. 2742 = R. 95). Horum trium quos commemoravi titulorum Cirtensis ille (VIII. 7049 = R. 1839), sub Alexandro Severo illum fuisse legatum documento est, quoniam legio cognominibus Severianae Alexandrianae utitur; reliquos duos eodem fere tempore positos esse consentaneum est, id vero mihi videtur dignum, quod notetur, titulum Lambaesitanum (VIII. 2742 = R. 95) aetate paullo posteriorem esse duobus aliis quod Martialiani consulatus iam commemoratur.

37. Cn. Petronius Probatus Iunior Iustus leg. Aug. pr. pr. c. v. praeses. Qui quo tempore legatus fuerit, ex uno, quem habemus, titulo Africano (VIII. 8327) non pateret, nisi eiusdem viri titulus Nolanus (I. N. 1988) nobis subveniret, in quo etsi Alexandri Severi nomen non invenitur, tamen reliquiae remanserunt, quae illo imperante Petronium fuisse legatum demonstrant. Ac Nolanus ille quidem videtur vetustior esse Cuiculitano, cum in cursu honorum legatio Africana non enumeretur. Ceterum si quis eum fuisse legatum non sub Alexandro Severo, sed sub Maximino contendet, non erit, cur disceptemus.

38. M. Ulpius Maximus leg. Aug. pr. pr. c. v. praeses. Eum quoque sub Alexandro Severo fuisse legatum titulus unus, quem habemus, Lambaesitanus (VIII. 2753 = R. 96) docet.

Haec est series legatorum Augusti pro praetore, quos quidem cognoverim. Quos extremos enumeravimus, ad Alexandri Severi pertinent tempora. Quoniam autem a. 237 legionem cum ignominia esse dimissam iam vidimus[71]), quod per viginti fere annos legati legionis non occurrunt nobis, mirum non est. Post legionem restitutam, i. e. post annum 253[72]), legati inveniuntur, qui sequuntur:

39. Veturius Veturianus v. c. leg. Auggg. pr. pr. fuit a. 253, cum primus legionis renovatae legatus esset. Quare eodem fere anno positus sit titulus alter necesse est qui nobis servatur (VIII. 2614 = R. 140); nec post annum 259 legatus fuit, quo anno Valerianus, Gallieni filius, mortuus est[73]).

71) v. p. 20. 72) v. p. 21. 73) cf. Wilm. ad Exempl. 1471.

40. C. Macrinius Decianus v. c. leg. Augg. pr. pr. prov. Numidiae titulo uno Lambaesitano (VIII. 2615 = R. 101) nominatur; eum a. 260 hac legatione esse functum rectissime observavit Wilmannsius[74]) collato titulo altero Auziensi, qui est de bello, quod Faraxen cum Romanis gessit (VIII. 9047 = R. 3579).

Restat, ut eos enumeremus, qui quo tempore legati fuerint non intellegitur. Sunt:

41. Cn. Suellius Fl.... (VIII. 1839) leg. Aug. pr. pr. fortasse idem atque Suellius Flaccus, qui in tabula alimentaria Ligurum Baebianorum (Wilm. 2844, Or.-Henzen. 6664, I. N. 1354) nominatur. Quod si verum est, eum aut Traiani aut Hadriani temporibus legatum fuisse oportet, cum tabula alimentaria a. 101 concepta sit[75]).

42. C. Modius Iustus leg. Aug. pr. pr. consul (VIII. 2746 = R. 44), quem post Hadriani aetatem legatum fuisse crediderim, quod consul nominatur quodque eis, qui legati Augusti pro praetore in Africa fuerint, consulatum ex illo tempore saepius esse concessum verisimile est[76]).

43. Cl. Gallus leg. Augg. (VIII. 2741 = R. 35) non ante M. Aureli et L. Veri aetatem legioni praefuit.

44. C. Velleius Paterculus (VIII. 10311) leg. Aug. leg. III. Aug., quem cave confundas cum rerum scriptore Velleio Paterculo[77]), cui Marco praenomen fuisse Priscianus tradit[78]).

45. C. Iulius Lepidus Tertullus (VIII. 8309 = R. 2531) leg. Aug. pr. pr.

Gallienum imperatorem legatis legionum remotis praefectos in eorum locum substituisse constat[79]). Titulis Africanis quoque nonnulli commemorantur praefecti legionis III. Augustae, qui num omnes post legationem legionis sublatam legioni

---

[74]) ibd. ad n. 69. [75]) ibd. 2844 nota. [76]) cf. infra p. 46. [77]) Poullius cum hos duos eosdem esse censeret (Ann. de Const. 1875 p. 142), erravit. [78]) VI. 11 p. 259 ed. Kr. (p. 106 ed. Putsch); cf. editionis Kritzianae Vellei Paterculi prolegg. c. I. p. II. [79]) De praefectis luculentissime disseruit Wilmannsius (eph. epigr. I p. 81—105).

praefuerint dubito. Nam ex eis, qui in titulis commemorantur, praefectis alteri superiorem, alteri inferiorem locum obtinuisse mihi videntur, quam ob rem una ex parte eos fuisse praefectos castrorum legionis III. Augustae sub legato legionis censuerim; hos dico: P. Seius Rufus[80]) (VIII. 2628 = R. 143), praef. leg. III. Aug.; M. Aurelius Sabinus[81]) (VIII. 2675 = R. 98) praef. leg. III. Aug. p. v. Maximinianae; Ti Teltonius Marcellus (VIII. 2666 = R. 168), praef. leg. III. Aug. p. v.; T. Flavius Maximus[82]) (VIII. 2624. 2764 = R. 145. 638) praef. leg. III. Aug. Severianae. Qui omnes cum praefecti legionis fuerint inde a Caracallae aetate usque ad Maximinum — id quod legionis cognominibus Severianae, Maximinianae, piae vindicis comprobatur — quibus temporibus legatos legionis extitisse iam vidimus, neque probabile mihi videatur esse eodem tempore nunc praefectos nunc legatos praefuisse legionibus haud scio an recte iudicet, qui eos praefectos castrorum[83]) fuisse putaverit. — Praeter eos, quos modo enumeravi, praefectos sunt qui ipsis legionibus praefuisse videantur, qui post illos legionis praefectura ornati sunt: M. Aurelius Fortunatus (VIII. 2665) v. e. praefectus leg. III. Aug. Aurelianae, quem intra a. 270 et 275, quibus annis Aurelianus imperator fuit, praefectum fuisse constat; Clodius Honoratus v. e. praef. leg. III. Aug. (VIII. 2572 = R. 109)[84]); Ulpius Iulius (VIII. 2685 =

---

[80]) Is temporibus Caracallae aetate antiquioribus praefectus videtur fuisse, cum eius nomini et patris nomen et tribus et patria addatur, quae additamenta inde a Caracalla rarissime inveniuntur. [81]) Notus est mihi Aurelius quidam Sabinus primipilaris ex inscriptione Apulensi (C. I. L. III. 1191) neque eum eundem esse atque hunc, quem nos hoc loco praefectum videmus, incredibile est; nam praefectos castrorum ex numero primipilarium saepe electos esse constat (cf. Wilm. l. c.). Sed titulus ille Apulensis ad tempus definiendum nihil affert. [82]) Eum antea praefectum legionis fuisse non recte observavit Renierus (Revue archéol. 1850 p. 187). Nam prior titulus, quo legio cognomen Severianae habet, non ante Alexandri aetatem positus est, sed Renierus hunc titulum aut ignoravit aut neglexit. [83]) Praefectos castrorum legionis breviter etiam praefectos legionis vocari Wilmannsius (l. c.) observavit. [84]) Quando hic praefectus fuerit, ex titulo Cirtensi efficitur (VIII. 7003 = R. 1844), qui cum Diocletianus et Maximianus Parthici Sarmatici Persici nominentur, circa a. 295 positus sit necesse est.

R. 180) v. e. praef. leg. III. Aug., quem tertio p. C. saeculo praefectura legionis esse functum Wilmannsius[85]) docuit. — Praeterea nonnulli[86]) sunt nobis noti ex titulis, quorum duos praefectos legionis, non castrorum fuisse inde colligo, quod eorum beneficiarii[87]) laudantur; beneficiarios autem praefectos castrorum habuisse mihi non probatur.

Sed iam seriem ducum legionis enumerare desinamus, quoniam ad Diocletiani pervenimus tempora, ex quibus militiam plane commutatam esse accepimus.

Legati legionis quem locum obtinuerint et quamdiu quisque eorum legioni praefuerit, ut breviter exponamus restat. Ac primum quidem quomodo appellati sint dicamus. Is qui legationem legionis suscepit, legatus Augusti pro praetore vocatur, nisi quod interdum nomen legionis cui praeest apponitur, cuius rei testes nobis sunt tituli qui sequuntur:

VIII. 2478: L. Minicius Natalis leg. leg. III. Aug. pr. pr.

C. I. L. III. 2864: Iavolenus leg. leg. III. Aug.

VIII. 10296 = R. 2296: Sex. Iulius Maior leg. Aug. leg. III. Aug. pr. pr.

VIII. 2536 = R. 11: C. Prastina Messalinus leg. Aug. pr. pr. leg. III. Aug.

VIII. 2736 = R. 42: P. Caelius Optatus leg. Aug. pr. pr. leg. III. Aug.

VIII. 2744 = R. 46: A. Iulius Pompilius Piso leg. Aug. pr. pr. leg. III. Aug.

VIII. 2479 = R. 26: M. Valerius Maximianus leg. Aug. pr. pr. leg. III. Aug.

VIII. 7049 = R. 1839: P. Iulius Iunianus Martialianus leg. leg. III. Aug.

VIII. 10311: C. Velleius Paterculus leg. Aug. leg. III. Aug.

Quos titulos universos praeter Iavoleni illum, qui hoc loco

---

85) l. c. p. 98. 86) VIII. 2784 = R. 227; VIII. 2813 = R. 356; VIII. 2761 = R. 406; VIII. 2778 = R 1391. 87) VIII. 2784 = R. 227; VIII. 2813 = R. 356.

neglegi potest, quod in eo ordo honorum enumeratur, in Numidia positos esse manifestum est. Cum igitur nullius legati, cuius legationi appositum est nomen legionis, in provincia Proconsulari tituli reperti sint, ex silentio eos, quando in provincia Proconsulari agebant, nomen legionis abiecisse concludas; quae opinio firmatur eo, quod tres extant lapides milliarii positi in illa provincia (VIII. 10048. 10081. 10114), quibus P. Metilius Secundus legatus Augusti propraetore, non legatus Augusti propraetore leg. III. Aug. nominatur, ita ut id quod ex silentio suspicari licebat, pro certo accipere possimus. — In Numidia vero utrum legatus nomen legionis legationi addat necne nihil referre videtur[88]). —

Nonnunquam etiam titulo nomen provinciae additur, id quod quatuor hae nos docent inscriptiones:

Or. 946 = C. I. Gr. 6627: Sex. Varius Marcellus leg. leg. III. Aug. praes. prov. Num.

VIII. 2392 = R. 1505: P. Iulius Iunianus Martialianus leg. Aug. pr. pr. prov. Num.

VIII. 2615 = R. 101: C. Macrinius Decianus leg. Augg. pr. pr. prov. Num.

Grut. 404, 7 = Gud. 122, 3 = Mar. Arv. p. 765: A. Egnatius Proculus leg. Aug. prov. Africae dioeces. Num.

Vespasiani temporibus legatorum imperium exercitus Africani in titulis imprimis commemoratum esse Mommsenus exposuit[89]). — Ad consulatum designabantur, quos quidem cognoscamus, omnes fere legati inde ab Hadriani temporibus, clarissimatus honorem inde a Commodi aetate[90]), praesidum titulos sub Caracalla et Alexandro Severo adepti esse videntur[91]).

---

88) Exempli gratia affero: L. Minicius Natalis leg. leg. III. Aug. pr. pr. (VIII. 2478), idem leg. Aug. pr. pr. (VIII. 4676); A. Pompilius Piso leg. Aug. pr. pr. leg. III. Aug. (VIII. 2744 = R. 46), leg. Aug. pr. pr. (VIII. 2488 = R. 1650); M. Valerius Maximianus leg. Aug. pr. pr. leg. III. Aug. (VIII. 2479 = R. 26), leg. Aug. pr. pr. (VIII. 4600 = R. 1718). 89) Anall. epigr. (Berichte der Kgl. Sächs. Gesellsch. der Wissenschaften 1852). 90) vide p. 39—42. 91) p. 41. 42.

Quod ad legationis tempus attinet, Wilmannsius non recte observavisse mihi videtur legationes triennes esse solere[92]). Nam hi inveniuntur legati, quorum legationis tempus definiri potest:

n. 3[93]).	a. 76.
n. 6.	a. 100—102 vel 103.
n. 7.	a. 104 vel 105.
n. 9.	a. 123.
n. 10.	a. 129.
n. 13.	a. 141.
n. 14.	a. 145. 146.
n. 15.	a. 147. 148 (149 vel 150 ex coniectura Wilmannsii).
n. 16.	a. 152.
n. 17.	a. 158.
n. 18.	a. 160—162.
n. 19.	a. 165.
n. 20.	a. 166.
n. 21.	a. 172—174.
n. 23.	a. 176.
n. 25.	a. 186.
n. 26.	a. 188.
n. 28.	a. 191 vel 192.
n. 29.	a. 193.
n. 30.	a. 197. 198.
n. 32.	a. 208.
n. 33.	a. 209—211 vel 212.
n. 34.	a. 211 vel 212.

Ex hoc tam magno numero legationum, quarum anni definiri possunt, duae sunt, quae triennes fuerunt, scl. n. 18 et 21, una per longius tempus legatus functus esse videtur (n. 6), quoniam probabilius est Traianum cognomen Dacici anno 103 accepisse. — Itaque quod Wilmannsius posuit non plane rectum esse censeo.

Neque aliud quidquam certi inde colligi posse expectavi,

92) Exempla inscr. Lat. 1185 n. 1. 93) Numeri hi ad indicem legatorum, quem composui, pertinent.



quoniam, cum imperator legato legationem mandet, quando vult, ei munus adimere possit, praecipue vero imperatore, a quo legatus mandatum accepit, mortuo provincia legatum decedere debet et tamdiu modo praeest legioni, donec aut ab imperatore, qui mortuo successit, in honore manere iubetur aut successor in provinciam mittitur; nam eo, qui mandavit, mortuo, mandatum ipsum de iure finitur.